QUAESTIONES ACADEMIAE LITURGICAE ROMANAE

III.

DE ASSOCIATIONE CADAVERIS.

Antequam vero cadaver efferretur in Ecclesiam, Augustinus Parochus curavit ut invitaretur, ad illud associandum, utrumque Cathedralis et Collegiatae Ecclesiae Capitulum; sed graves obortae sunt difficultates super praecedentia. Parochus enim praecedere se posse autumabat, utpote stola indutus; sed dignior ex Canonicis et ipse stola indutus praecedentiam competere sibi acriter sustinebat. Tunc Augustinus, ut suam sequi sententiam facilius posset, de induendo, super cotta et stola, etiam pluviali cogitabat. Verumtamen admirationis vitandae causa, neque enim ob id iura sua cedere volebat Capitulum, ad domum defuncti privatim solusque accessit; persolutisque super cadavere ritibus precibusque praescriptis, solus recessit. Capitula interim ex relativa Ecclesia, et ex Oratorio quodam Confraternitates, propriis praecedentibus crucibus, discedunt consueto ordine, expectant in via prope defuncti domum, donec vespillones cadaver deferunt; et praeside digniore Capituli, qui tunc et pluviale assumpsit, cruce praeeunte, cadaver ad parochialem Ecclesiam delatum est. Ad huius ianuam expectabat Parochus, qui post ultimum vale cadaveri dato a Canonico, et revertentibus Capitulis in Ecclesiam suam, quippe quae exequiali Missae, licet invitata, noluerunt assistere, omnia in Ecclesia parochiali super cadavere officia persolvit. *Quaeritur*:

1. *Cuinam competat praecedentia in associatione funeris atque officium super defuncto agere, assistente Capitulo Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae? Quid vero si defunctus esset etiam eiusdem Ecclesiae Canonicus?*

2. *Quinam ordo sequendus in associatione cadaverum, sive ex Ecclesia ad domum defuncti, sive e domo defuncti ad Ecclesiam?*

3. *Quaenam in funeribus crux elevanda, et num crucium pluralitas admittenda?*

4. *Quid de Parochi, Capituli, dignioresque Canonici agendi modo censendum, ut in casu exponitur?*

SOLUTIO

Ex dissertatione Rev. Dom. Ioannis Crescioli, Almi Collegii Capranic. alumni, habita in S. Aede Congregationis Missionis prope Curiam Innocentianam, die 10 Ianuarii 1900; acta Epitome per Rev.mum Dom. Alphonsum Carinci Caerem. Apostol. Magistrum.

I. Cuinam competat praecedentia in associatione funeris atque officium super defuncto agere, assistente Capitulo Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae? Quid vero si defunctus esset etiam eiusdem Ecclesiae Canonicus?

Si ex intimo naturae sensu ad iis, quos proximos novimus, succurrendum, dum in hac vita degunt, trahimur, maxime vero si per ardua rerum agantur; ille idem sensus haud extinguitur, dum anima destitutum, cadaver effectum, quemque contemplamur. Imo in eum vel magis afficimur, ac pie illi exhibemus officia, usque in sepulcro componimus, velut in loco pacis et quietis. Eleganter de huiusmodi pietatis sensu loquitur Magnus Gregorius in sermone 1° *De consolatione mortuorum*: « Mortuus, inquit,

cum anima sensuque careat; nec quo se vertat, nec quid imploret amplius, nec vim habet implorandi. Nil mirum igitur si insit a natura in humanis pectoribus singularis erga defunctos pietas ac miseratio ». Hinc est quod hoc misericordiae opus, maximi a Regio Psalte aestimabatur, ac ferventes in coelum elevabat preces pro iis, qui Saulis et Ionathae cadavera sepeliverunt. Est haec gratia, videlicet sepulturae, defuncto non neganda, ut ait sapientissimus Salomon in *Ecclesiastico*. Unde et piissima mater Ecclesia erga suos filios amore plena, voluit, hoc extremum pietatis officium in eos fore exhibendum, meliori quo posset modo. Nunc autem, sive ut extremum redderet tributum obsequii erga illa corpora, quae fuerunt iam templum Spiritus Sancti ob gratiam, quae saepe sanctificata fuerunt ex contactu immaculatae carnis divinissimi Agni; sive ut superstites consolaretur, et ad futurae resurrectionis considerationem invitaret; sive, et hoc maxime, ut fidelium defunctorum animabus suffragia exhiberet, sublimes et commoventes ritus exequiarum instituit. Curam harum vero, ut adamussim adhiberentur, suis tradidit Ministris, quos vult socios inseparabiles suorum filiorum ab ipso vitae exordio, usque ad extremum exitum. Ad Parochum igitur, veluti ad animarum curatorem, huiusmodi caeremonias committit, « ut ea, sunt Rituali Romani verba, summo studio servare debeat, atque usu retinere tamquam vera religionis mysteria, pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia ». Hoc Parochorum ius, quod maxima gaudet antiquitate (*V. Barbosa, Ferraris, cetorosque canonistas*), est veluti naturale consectarium officii parochialis ministerii. Convenit nimirum extrema pietatis officia erga defunctum, ab eo exerceri, qui infantem ad sacri fontis undas recepit, ad sacrum tribunal reconciliavit, ad Altare pane vitae cibavit, viatico ad aeternitatis limen recreavit, extrema confortavit unctione. Hinc prae-

cedentia quae in sacris exequiis uni Parocho competit, usque dum iure potitur super cadaver, cum sit illius quasi dominus et rector.

Diximus usque dum iure potitur super cadaver, et merito: plures enim dantur casus, in quibus ius praecedentiae in funeribus ad alios transfertur. Parochus proprius nempe ultimi domicilii defuncti, est ille qui ius, ut ita dicam, naturale habet in cadaver sui parochiani, ut illud deducat ad Ecclesiam, super illud officium faciat cum Missa de requie. Parochus domicilii ius suum non amittit si quis *per accidens* extra parochiam decedat, *dummodo ad ipsam valeat absque periculo deportari*, ut habetur in VI Decret. Lib. III, Tit. XII, Cap. *Is qui etc.* Praecedit pariter, quando ius et onus habet interveniendi etiamsi defunctus elegerit alibi sepulturam. At cum ad ianuam Ecclesiae tumulantis pervenerit, postquam cadaver e domo deduxerit et comitatus fuerit, repetita antiphona, recedere debet, aut saltem dimissa stola, ut privatus assistere, nisi contraria habeatur legitima consuetudo (*S. R. C. 20 Nov. 1677; S. C. C. 17 Iun. 1702*). Ad Ecclesiae ianuam excipiet Rector illius cadaver, cui spectat reliquum officium super idem peragere et aliis omnibus praecedere, ne defuncti quidem Parocho excepto. Si Parochus in eiusmodi associationibus recusat intervenire, tunc Regularibus vel aliis licebit absque Parocho deferre cadavera in eorum Ecclesiis sepelienda. Ita S. R. C. (*Decr. 22 Iun. 1675, ad 5 in Senogallien. n. 1539*).

Dantur tamen casus, in quibus Parochus etiam in associatione cadaveris ad propriam Ecclesiam praecedentiam cedere debet. Hinc respondemus directe ad quaesitum, cuinam competat praecedentia in associatione funeris atque officium super defuncto agere, assistente Capitulo Cathedralis aut Collegiatae Ecclesiae. Interveniente ad funus Capitulo Cathedralis, praeter dubium, huic spectat praece-

dentia super Parochum, qui idcirco incedere debet ante Capitulum ipsum. Sed praestat integrum referre Decretum Generale super exequiis, d. d. 23 Aprilis 1895; ad num. 2 legitur: « Eumdem Parochum primas habere super omnem clerum; excepto si interfuerit Capitulum Cathedralis Ecclesiae; excepto etiam Capitulo Ecclesiae Collegiatae, si ita consuetudo ferat. Hoc tamen in casu, dignior Capituli Cathedralis incedat cum stola et etiam cum pluviali, quod tamen non ferat Parochus; et idipsum servabitur, si Capitulum Ecclesiae Collegiatae post Parochum incedat ». Nil hoc Decreto clarius, ut omnis controversia excludatur, et quod peculiaribus in casibus iam S. Cong.tio statuerat, generali lege sancitum est. Advertatur tamen clausula illa pro Collegiatis Capitulis, qua non statuitur generalis lex, sed pro consuetudine libertas relinquitur. Differentia autem huius dispositionis cohonestatur ex eo quod Capitulum Cathedrale nuncupatur Parochus habitualis urbis, ac insuper eo quod senatum Episcopi constituat. Consuetudo Ecclesiae Collegiatae non est necesse quod existat ab immemorabili, sed sufficit quadragenaria.

Illud praetereundum non est, has et similes praecedentiae quaestiones locum habere tantum pro Parochis iuridice constitutis cum suis omnibus praerogativis officii; alicubi enim, v. gr. in Basilicis et Collegiatis almae Urbis, in quibus cura animarum constituta est, Capitulum est Parochus habitualis, qui habet Vicarium, seu alium, deputatum ad parochiales functiones exercendas. Hoc porro in casu, huiusmodi Parochus nulla gaudet praecedentia nisi habeat aliunde, ex. gr. si sit Archipresbyter, Decanus; quinimo aliquot etiam parochiales functiones exercere nequit. Ad rei confirmationem iuverit Decretum referre, quod datum fuit in *Aliphana*, die 4 Novembris 1691 (n. 1857): « Canonicus cui collata est cura animarum, si ve-

lit incedere in funeribus cum stola et gerere personam Parochi, locum non habet inter Canonicos, sed incedere debet uti Parochus ante Capitulum Cathedralis post ceteros Presbyteros. Si autem velit interesse uti Canonicus, stare debet loco suae receptionis, sed sine stola, deferenda hoc casu per digniorem de Capitulo ».

Quaeritur ulterius, cuinam competat officium super defuncto agere, assistente Capitulo. Prodest imprimis haec verba dilucidare, quid nempe sibi velit, « persolvere omnia officia super cadavere defuncti ». Officia peragenda, hoc in casu, sunt preces quae recitantur feretro in Ecclesia deposito, Officium defunctorum et Missa de requie, absolutio ad idem feretrum, et demum delatio cadaveris ad sepulturam. Haec officia omnia absolute spectant ad superiorem Ecclesiae tumulantis, etiam si Capitulum Ecclesiae Cathedralis seu Collegiatae interveniat. Quaesitum fuit a S. R. Cong.tione (*Sutrina*, Praeminentiarum): « An Capitulum et Canonici (Ecclesiae Cathedralis) non solum in via, sed etiam in propria Ecclesia parochiali, praecedere debeant ipsi Parocho in funeribus et aliis functionibus, non obstante praetensa contraria consuetudine »? Et responsum fuit, die 28 Aprilis 1703: « Affirmative, praeterquam in actu peragendi Officium, quod spectat ad Parochum ». Nihil tamen vetat, quinimo valde conveniens erit, quod Parochus ius Officii peragendi cedat digniori Capituli, aut alii ex eodem, prout feret consuetudo illius in similibus; est enim in Dioecesi Capitulum Cathedralis prima dignitas post Episcopum.

Ad alteram quaesiti partem nunc transeamus. Quaeritur quid agendum si defunctus esset etiam eiusdem Ecclesiae Canonicus. De Herdt in suo opere « Praxis Pontificalis » (*Vol. 3*), ait id spectare ad Parochum domicilii « nisi legitima adsit consuetudo, uti saltem est immemorabilis vel quadraginta annorum cum titulo, ut Capitulum

Canonicis ultima Sacramenta administret, eorumque funera peragat », et haec consuetudo, ipsemet ait, viget in tota Gallia et Belgio. Et sane in Decreto in *Senen.* diei 9 Iunii 1668, S. Cong.tio declaravit : « In Ecclesia ubi sepelitur corpus defuncti etiam Canonici ipsius Cathedralis, qui ibi habuerit sive elegerit sepulturam, ad Parochum ipsius Ecclesiae pertinere officium facere ». Et in alio Decreto in *Comen.* die 10 Iulii 1671 : « An moriente aliquo ex Canonicis Cathedralis in altera Parochia, quam Cathedralis, possit Capitulum excludere Parochum ab interventu cum stola ad funera, seu ei adimere quartam funeralem » ; responsum fuit : « Manutenendos Parochos in exercitio functionum Parochialium privative quoad Capitulum, cui dantur litterae remissioriales, ad probandam immemorabilem, quatenus sit, consuetudinem ». Ex quibus Decretis confirmatur, quod ubi non adest consuetudo ab immemorabili, eaedem vigent dispositiones pro Canonicis, ac pro ceteris defunctis ; et Capitulo nil aliud competit quam praecedentia in incessu, nisi alia sit consuetudo pro Collegiatae Capitulo, ut vidimus, omnia officia peragente Parocho super cadaver. In casu autem contrariae consuetudinis, adhaerebitur Generali Decreto d. d. 23 Aprilis 1895, ut nempe Parochus cadaver comitetur usque ad Ecclesiam Cathedralem aut Collegiatam.

II. Quinam ordo sequendus in associatione cadaverum, sive ex Ecclesia ad domum defuncti, sive e domo defuncti ad Ecclesiam ?

Coadunato Clero ac ceteris ad funus invitatis in defuncti parochiali Ecclesia, ab hac eadem una procedere debent ad domum defuncti, nisi ob magnam distantiam domus ab Ecclesia, alius locus deputetur, ubi defuncto obviam eatur. Sub nomine *Cleri*, intelligendi sunt profecto ii, qui ad Paroeciam pertinent, quos convenit ad funera, prae ceteris, advocari. Possunt tamen ad propin-

quorum defuncti seu haeredum arbitrium vocari Ordines Regulares, Confraternitates, et, si adsit consuetudo, etiam Capitula. Notandum est tamen, quod si invitatur Capitulum Cathedralis, omnes in illa convenire debent ; ita ex sententia S. Cong.nis. Hinc neque Regulares, neque Confraternitates possunt recto tramite ad domum procedere, nec per viam expectare, iuxta Decretum 17 Sept. 1822.

Officium faciens induitur cotta et stola nigri coloris, ac, si ita fert usus, etiam pluviali eiusdem coloris. Inhibetur, ex S. Cong.nis Decreto (*19 Dec. 1899*) delatio cappae aut aliud chorale insigns, sub cuius nomine tamen, in casu, non venit Rocchetum. Omnibus rite dispositis, procedunt bini, et « nihil cantantes, non autem colloquentes aut circumspicientes, ad domum defuncti accedunt ». Praecedunt Confraternitates laicorum, iuxta ordinem antiquitatis institutionis, aut legitimas consuetudines cuiusque loci. Sequitur clericus aquam benedictam cum adspersorio deferens : crucifer cum hastata cruce convertens imaginem Crucifixi ad viam arripiendam, absque ceroferariis, post quam locum sumunt Regulares ; super hos autem praecedentia semper gaudet Clerus saecularis (Clemens VIII, in Constit. *20 Febr. 1601*, a Baruffaldo citata, *n. 78*, § *36*). Ultimo loco venit Parochus, aut alius qui ei modo quocumque sufficitur. Qui habitu ordinario, seu civili, conveniunt, post feretrum procedent, nec isti, ut patet, tenentur ex Paroecia procedere. Cum pervenerit processio ad domum defuncti, Celebrans ipsam imgredietur; ad pedes defuncti sistet, eumque aqua benedicta adsperget, in medio, ad eius dexteram et denique ad laevam, nihil dicens. Dein clara voce antiphonam intonabit *Si iniquitates*, quam sequetur Ps. *De profundis*. Post preces cadaver levatur, ac proceditur ad Ecclesiam tumulantem eodem ordine, quo antea dictum est. Feretrum, luminibus circumactis, immediate Parochum sequitur. Statim ac processio domum re-

linquit, Parochus voce gravi intonat antiphonam *Exultabunt Domino*, et cantores incipiunt Ps. *Miserere*, clero alternatim prosequente. Qui funus sequuntur *sub silentio* (*Rit. Rom.*) et orabunt pro defuncti requie. Consuetudo deferendi cadaver super curru equis vecto toleratur, at melius foret antiquum morem sequi illud deferendi manu seu super scapulas. « Laici cadaver, quolibet generis, aut dignitatis titulo praeditus ille fuerit, clerici non deferant, sed laici (*Rit. Rom. de Exequiis*) ». Cum vero a Clericis ciusdem Ordinis et qualitatis, aut inferioris, fiat, ad quem defunctus pertinebat, ut appareat fraternae caritatis exemplum, nequeunt tamen vestiri stola vel aliis sacris paramentis, ita statuente S. R. Cong.ne in una *S. Marci*, die 22 Martii 1862 ad XV (n. 3110). Quaestiones circa instituendum iter, quod longius esse potest ad commodiorem processionis explicationem, a Parocho sunt definiendae (V. Ferraris, etc.).

III. Quaenam in funeribus crux elevanda, et num crucium pluralitas admittenda?

Baruffaldus ad § 36, ubi titulum 36 Ritualis commentatur, de exequiis, ait, absolute « de communi praxi, et non de iure canonico una crux est in funeralibus erigenda; quod fit devotionis causa, in memoriam Passionis D. N. I. C. crucifixi et in signum, quod homo iste mortuus est in signo crucis ». Notat in fine, omnes exortas hac de re quaestiones terminum habuisse ex Constit. Benedicti XIII *Pretiosus*, in qua statuitur, Crucem posse *tuto et inoffenso pede* ingredi quamcumque Ecclesiam, cum non sit iurisdictionis insigne, sed christianae religionis. Verum ius vigens unam tantum Crucem admittit, quae sit Ecclesiae tumulantis, nulla in oppositum valente consuetudine. Ita Decretum in *Abellinen. 28 April. 1866, n. 3144*, et aliud generale *23 April. 1895, ad I.* At quando intervenit Capitulum Cathedralis Ecclesiae, huius tantum Crux

est deferenda (*Dec. Gen. citat.*). Si vero Capitulum esset Collegiatae Ecclesiae, in casu consuetudinis praecedentiam huic donantis supra Parochum, videtur unica capitularis Crux adhibenda ; quemadmodum erui datur ex Decretis, *Montis Regalis* d. 2 Iulii 1661, n. 1200, et in *Syracusana*, d. 17 Iunii 1843 ad 4, n. 2861. Confraternitates solent proprium vexillum unaquaeque deferre ; at istiusmodi insigne, etiamsi Crucifixi imaginem habeat, non est confundendum cum Cruce processionali, ac proinde nullimode prohibetur.

IV. Quid de Parochi, Capituli, dignioribusque Canonici agendi modo censendum, ut in casu exponitur ?

Parochus, de quo in casu, solus et privatim, pluviali indutus, ad domum defuncti accessit, ut, quemadmodum ipse autumabat, quaestionem praecedentiae Capituli Cathedralis evitaret, contentus de ritibus persolvendis, precibusque recitandis super cadaver, antequam domo efferretur. Haec agendi ratio non fuit digna Parocho ; qui pluviale induere non poterat, praesente Capitulo Cathedralis (*Decr. Gen. citat.*) ; ab Ecclesia Cathedrali procedere debebat, una cum aliis, ad domum defuncti, nec tamen illico discedere, sed cadaver comitari ad Ecclesiam, ut omnia super cadaver persolveret Officia ; etenim, uti apparet ex casus expositione, defunctus ad illius pertinebat Paroeciam, nec alibi tumulandus erat.

Capitula et Confraternitates ex sua quaeque residentia discesserunt, propriis praecedentibus Crucibus, ut expectarent prope domum defuncti. Primum iure factum est, non alterum. Pluralitas Crucium processionalium inhibita est, quando plures coetus una simul incedunt, non vero singulatim. Crux enim Ecclesiae Collegiatae deferri quidem poterat usque ad Cathedralis ianuam, Capitulo Collegiatae capitulariter, ut dicitur, accedente, sed ibi deponi, ut reassumeretur in recessu, post ritus omnes associationis expletos ; quod ita factum esse in casu declaratur, infe-

rius enim habetur: *cruce praeeunte*. De Crucibus Confraternitatum idem dicendum, nisi forte potius vexilla fuissent; quam Cruces processionales, quo in casu, et in associatione ea deferre rite valebant. Alterum vero haud recte factum, eo quod non in via, sed in Ecclesia Cathedrali conventus agendus fuerat (Decr. *28 April. 1703*, et *17 Sept. 1822*). Notandum etiam Pluviale assumendum esse in loco ipso ex quo proceditur, non autem per viam, quod quisque videt quam reprobandum sit. Ad assistentiam ad Missam exequialem Capitula adigi non poterant, quamvis invitata, nihil igitur contra ea arguendum, si, post ultimum vale cadaveri datum, discesserunt.

Solutio quaestionis pro mense Ianuario propositae (1)

LOCUS CRUCIFERI IN ABSOLUTIONE PRO DEFUNCTIS, DEPENDETNE A POSITIONE CADAVERIS VEL CENOTAPHII, AN NON? E SACRA ARCHAEOLOGIA, E RUBRICIS, EX EXPOSITORIBUS, E SENSU LITURGICO *potest ne aliquid* ERUI?

I.

Quaestio proposita, nec brevis, nec facilis solutu est, eo quod, uti iacet, nusquam tractatam reperivimus; et Rubricae atque earum expositores silentio praetereunt. Hinc non quaeritur, quid super ea doceat archaeologia, quid Rubricae, quid Rubricistae, quid sensus liturgicus, utique rectus; sed quid ex his omnibus et singulis erui possit. Est ergo prorsus nova quaestio, et quidem theoretica, quamvis maximam habeat relationem ad praxim; et studio ac ratiocinio, uti ignotum ab aliis quae nota sunt, deducenda. Adde, quaestionem propositam, quae patet, aliam latentem includere, num scilicet praesentia moralis cadaveris, eodem modo sit consideranda, in casu,

(1) Duo, cl. Fourneret, et I. D' Adamo solutionem miserunt: ille a cadaveris, non cenotaphii, positione pendére locum Cruciferi defendit: hic ab utriusque: hanc selegimus.

uti physica : quod ex Appendice constat ad solutionem posita in num. 10 anni praeteriti (Vol. XIII, pag. 656), quod difficultatem adauget, haec enim et nova est quaestio. Tamen, quid de hac ultima sentiendum sit, ultimo loco diffuse praeoccupabimus. Ut autem ad eam ordinatim perveniamus simplicibus quaestionis terminis inhaerere nunc iudicamus: quibus interim respondere censemus: **locum cruciferi a positione cadaveris et cenotaphii** semper pendere. Quod autem, et validissimis firmabimus argumentis, et, ut intra quaestionis limites maneamus, ex sacra Archeologia, e Rubricis, ex Expositoribus, ac demum e sensu liturgico eruere curabimus.

1. *Quid eruitur e sacra Archaeologia?* Usus crucis, ad similitudinem eius in qua mortuus est Christus, ad primaeva Ecclesiae saecula ascendit. Neque enim eorum veram esse dixerim opinionem, qui crucis aut pingendae, aut sculpendae auctorem primum statuunt Constantinum Magnum, cui vigilanti per visum splendidum crucis signum apparuit, et qui alia postea illi similia exprimi curavit, quae *labara* passim vocitarunt, uti testatur Eusebius (*Vita Constantini* 61); quae deinde praxis ad alios quoque manavit. Namque ex Minucio Felice in Octavio *(num. IX edit. Cantabr.)*, ex Tertulliano *(Lib. I contra Gentes Cap. III)* et ex Origene contra Celsum *(Cap. II)* constat, Gentiles saepe id nostris exprobasse quod crucem colerent. Summus igitur pietatis sensus eis suadere certo debuit, ut crucem etiam ad caput mortuorum suorum ponerent symbolicum signum, ostendens, in pace eius, quem per totam vitam crucifixum coluerunt, eos beatos quiescere : quod amplissime deducitur ex eo quod repertae sunt superiori aetate in romanis Coemeteriis pleraeque imagines, crucis figuram exprimentes, gemmisque ornatae, uti in Ectypo marmorei sarcophagi Probi, et Probae Martyrum.

Nec possunt numerari sarcophaga, ubi invenitur

signum sanctae crucis, nec auctores christianae archaeologiae insignes de eodem testimonium ferentes, cum etiam nostris his temporibus, hic Romae, in Coemeteriis propemodum infiniti sint lapides ad sepulcra, signum crucis habentes. Uti etiam videre est auctoritatis gratia in Casali (*De veteribus sacris christianorum ritibus, Part. III, cap. 66)* et in Salvagio *(Antiquitatum christianorum institutiones, lib. II, part. II, cap. 10)*. Haec autem sanctae crucis signa afferebantur etiam sub litera X, quam crucem significare sic probat eruditissimus Casali (op. cit. *part. I, cap. I)*: « Ceterum non solum littera X, quam P intersecat, sed unica etiam littera X spectatur in coemeteriis; nempe hac littera X nomen Christi significari, seu Crucis, qualem efformavit Iacob, cum Iosephi liberis benedixit, *manibus transversis obliquatis inter se*, ut loquitur Tertullianus, de Baptismo cap. 8. Illud quoque argumento est, quod Iulianus Apostata propterea *Osor* X a Christianis Antiochensibus dictus est (ut ex libello, qui « Misopogon » inscribitur, apparet), quia Christi erat iuratus hostis. Quid vero est duarum linearum ista decussatio, nisi figura Crucis? Huc accedit locupletissimum Iustini Martyris testimonium: Is enim in Apologia secunda, cum Platonem verba haec de filio Dei a Moyse accepta, in Timaeo protulisse diceret: *Decussavit eum in universo*, decussationem figuram Crucis esse affirmavit. Et hanc sanctissimi viri interpretationem sacrosanctae Cruci non mediocriter faventem, ut Platonicae Philosophiae hortus Mosaicis fontibus irrigatus doceat, cur valde suspiciamus? ».

Et cum nulla revera sit in re suspicio, nec ulterius hic immorabimus; non tamen praetermittendum est illud de loco ubi crucis figuram pingere vel incidere mos erat. Generatim fere ex omnibus monumentis colligitur eam fuisse ad locum ubi quiescebat caput defuncti: et ratio deducenda ex fine quo crux

ibi apponebatur. Nam hoc magnum sanctumque nostrae redemptionis signum ibi ex symbolica christianorum primaevi temporis pietate unice significabat, defunctos fideles in vita imitatos et sequutos Christum et hunc crucifixum. Nullus ergo locus capite aptior, ut ibi poneretur unde oriebantur pia imitationis Christi proposita, ac sanctae in vitae christianae perseverantiat resolutiones ?

Quod et praxim fidelium demonstrat a primis Ecclesiae saeculis usque in praesentem aetatem. Namque cl. Marucchi in suo recentissimo ac praeclarissimo Opere *(éléments d' Archéologie chrétienne)* refert exempla innumera crucis, nunc ad latus, seu prope caput, nunc ad ipsum caput defuncti : nunc refert inscriptiones super tumulos positas, crucem in capite ferentes. Crux autem, nunc gemmata, nunc Sancti Andreae, nunc aliquantulum decussata est, quod primissimorum saeculorum proprium erat. Serius autem crux apparet explicita, sed sine crucifixo, postea etiam cum ipso ; sed nullus loculus, nullus defunctus sine cruce, ad caput quidem, plus minusve apparente, ut vivi scire possent, defunctum, uti et locum defunctorum, ad Christum pertinere.

Nota insuper sunt verba, quae minus antiqua aetate scripta relinquebat Durandus : « Et in quocumque loco extra coemeterium Christianus sepeliatur, semper crux capiti illius apponi debet *(Ration. div. offic. Lib. VII, cap. 35, n. 39)*.

Placet etiam graecorum monachorum usum (quidni et aliorum fidelium ?) tangere, qui a praefato non differt, quamvis iuxta eos plures adhibeantur cruces. Tradit enim Goarius, quod Praefectus monachus, praeter reliqua pietatis signa in defunctum, *tres cruces componit*, **ad caput unam**, *ad pectus alteram et aliam versus genua* (1) *(Offic. funer. monachor.)*.

(1) Ἀποτελεῖ τσαυραὺς τρεῖς ἕνα τωπὸς τῇ κεφαλῇ, καὶ ἕνα πρὸς τὰ τρήξη, καὶ ἕτερον πρὸς τοῖς γόνασι.

Et ex hoc antiquissimo more, tam rectae rationi piisque sensibus consentaneo, constanter servato, exorta est illa Ecclesiae dispositio in Rituali Romano *(Tit. VI, cap. I, n. 18)*: « *Semper crux capiti illius* (christiani defuncti) *apponi debet ad significandum illum in Christo quievisse.* Quam Baruffaldus commentatur dicens : *(Tit. 34, n. 157)* : *In quocumque loco Christianus sepeliatur, semper Crux capiti eius apponi debeat, ad denotandum illum fuisse talem* », uti et Catalanus, *(Rit. Rom. commentariis illustratum, Tit. VI, cap. I, n. XVIII)*, et ante istos omnes Ioannes Belethus in explicatione Divinorum Officiorum cap. 159.

Ex hoc igitur antiquissimo ac numquam intermisso more ponendi crucem ad caput defuncti credimus derivasse ritum praesentem, de quo Rituale Romanum, ut crucifer, dum absolutio peragitur, ad caput defuncti sistat. Hic enim ritus ad illos indubie pertinet, *quibus, ex antiquissima traditione, et summorum Pontificum institutis Sancta Mater Ecclesia catholica in filiorum suorum exequiis uti solet, tamquam vera religionis mysteria, christianaeque pietatis signa, et fidelium mortuorum saluberrima suffragia*„ sicut dicit Rituale ipsum Romanum *(Tit. VI, Cap. I, De Exeq. n. 1)*.

Quo sine difficultate admisso circa defuncti cadaver reale, non potest negari, idem factum fuisse circa cenotaphium, quod natum est reale cadaveris corpus repraesentare. Quid enim aliud intelligitur illo graeco vocabulo κενοτάφιον, nisi tumulus cadavere carens, quo a Svetonio *honorarium* appellatur ? Quod ergo de realitate conclusimus, etiam ad figuram applicari debet, cum aliunde nulla ratio in contrarium afferri possit.

Ast quaestio proposita quaerit, num ex sacra Archaeologia erui possit dependentia loci cruciferi e positione cadaveris vel cenotaphii, ad quam dedimus affirmativum responsum, quod nunc probari debet ra-

tiocinio et illatione. Sed res difficilis non apparet. Namque vidimus, iam antiquissimum fuisse christianorum morem, retentum semper, intermissum nunquam ponendi crucem ad defunctorum caput. Item vidimus, quo ex motivo id Christiani fecerint, ut scilicet demonstrarent, se vere tales fuisse, secutos Christum, et in pace eius obiisse, ac quiescere. Intulimus etiam, ex eodem more antiqissimo derivatum fuisse alium praesentem ritum, qui in eo consistit, ut Subdiaconus sistat cum cruce ad defuncti caput. Denique e cruce ad caput cadaveris realis sine difficultate deduximus crucis praesentiam ad caput quoque cadaveris figurati, sive cenotaphii. Quid autem ex his omnibus inferri potest et debet? Hoc profecto, quod ideo crucifer sistere debet ubi Rubrica illum esse iubet, quia illic est caput, sive reale sive figuratum defuncti. Ast oppones id quidem posse et debere concedi, si agatur de reali cadavere, non tamen si agatur de figurato; quia hoc ultimum neque Rubricae dicunt, neque expositores. Respondemus, si ratiocinium iustum et illatio legitima ex antiquitate negari nequeat, uti certum credimus, rationem in oppositum deductam ex Rubricis et Expositoribus nullam prorsus esse confidimus, quod ex sequentibus patebit. Interim hoc firmum arbitramur, locum cruciferi e positione cadaveris, uti ex Archaeologia eruimus, dependere.

2. *Quid e Rubricis?* Ex universorum liturgicorum codicum Rubricis semper et constanter hoc clarissime infertur, quod locus cruciferi omnino dependet a positione cadaveris, non solum praesentis, sed etiam in cenotaphio repraesentative habiti: quod sic demonstrare aggredimur.

Et primo ex Missali Romano pro defunctis: in calce istius sancti augusti Altaris sacrificii codicis sunt *Ritus absolutionis*, et *Ritus absolutionis in exequiis praesente corpore*. Legitur in isto: « .... Subdiaconus accipit Crucem et accedit ad feretrum, et se sistit

ad **caput defuncti cum Cruce**, medius inter duos Acolythos seu Ceroferarios ». In *Ritu* autem *absolutionis* absente cadavere, legitur : « Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli seu lecticae mortuorum contra Altare, medius inter dictos Acolythos ». Ex primo istorum testimoniorum amplissime colligitur locum cruciferi esse ad caput defuncti, non autem ex secundo, quia posset obiici, hic Rubricam asserere praecise contrarium, cum dicat Subdiaconum se sistere debere ad pedes tumuli. Sed haec Rubricae obscuritas statim discutitur, si consideratur hic *pedes tumuli* appellari per relationem ad locum in quo est : quia cum locus Ecclesiae habeat caput ad Altare , pedes autem ad ianuam, sic et tumulus, qui in eo sistitur. Dicitur nempe hunc habere caput ad Altare, ad ianuam autem pedes, quia locus consideratur, in quo tumulus ponitur. Neque dicas, optime id dici de laici, sed non de sacerdotis cadavere. Namque, si cadaver sacerdotis est reale, eius caput ad Altare est, si vero figuratum, versus ianuam Ecclesiae manere debet iuxta Rubricas, uti dicemus : quod, vix aliquibus exceptis, probatissimi Auctores et perennis Urbis Ecclesiarum praxis firmissime tenent.

In Rituali Romano autem habemus indicatam positionem cadaveris in absolutione praesente corpore (*Tit. VI, cap. I, n. 17*) : « Corpora defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus Altare maius.... Presbyteri vero habeant caput versus Altare ». Ac deorsum (*ibid. cap. 3, n. 4*) : « Deposito feretro in medio Ecclesiae ita ut defuncti pedes, si fuerit laicus, sint versus Altare maius ; si vero fuerit Sacerdos, ut dictum est, caput sit versus ipsum Altare ». Quod cum optime distinguat loquens de positione cadaveris in Ecclesia, nullam postea distinctionem memorat cum praescribat locum cruciferi, istis verbis (*ibid. n. 7.*) : « Finita Missa..... Subdiaconus accipit crucem, et accedit ad feretrum et se sistit ad caput defuncti

cum cruce, medius inter duos acolythos ». Nec aliter faciendum esse docet idem codex agens de Absolutione absente corpore.

Nec minori claritate loquitur Caeremoniale Episcoporum, in quo de Absolutione pro defunctis post Missam haec habentur *(Lib. II, Cap. XI, n. 15)*: « Cum pervenerint ad castrum doloris..... acolythi vero ceroferarii, ac Subdiaconus cum cruce ibunt ad pedes loci..... nisi fiat absolutio praesente corpore, seu cadavere, quo casu, Subdiaconus cum cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille sit, prout in Rituali Romano ». Redit hic difficultas, quam supra praeoccupavimus considerando illud quod reperitur in Missali Romano: quando nempe hic textus ait Subdiaconum se ponere debere ad pedes loci, hoc nomine *loci* intelligit spatium in Ecclesia occupatum, qui repraesentative pro tumulo aut sepultura est locus capitis defuncti.

Demum considerandum quoque venit Pontificale Romanum, in quo haec inveniuntur *(part. 3, de officio quod post Missam solemnem pro defunctis agitur)*: « In exequiis alicuius Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis, seu Metropolitani, aut Episcopi proprii (*Celebrans et ministri*), .. vadunt ad castrum doloris seu feretrum, aut sepulturam.... ubi cum fuerint locantur hoc ordine.... Acolythi vero ceroferarii ac Subdiaconus cum cruce vadunt ad pedes loci .... Celebrans vero sedebit in faldistorio in capite loci in medio ita ut crucem directe respiciat ».

Uti patet hic loquitur de absolutione absente corpore, et hic quoque verba *ad pedes loci* Rubricae intelligenda sunt iuxta significationem modo supra tributam, scilicet ad locum qui repraesentative locus est capitis.

Sed, ut iam innuimus, posset quis obiicere thesim nostram non esse valde consentaneam Rubricis; nam si locus cruciferi iuxta sensum sacris Codicibus

attributum, dependet a positione cadaveris aut cenotaphii; et si locus capitis defuncti repraesentative est ille, in quo realiter existeret caput cadaveris, patet quod in absolutione pro defuncto Sacerdote, absente cadavere, crucifer videretur sistere debere aequaliter ad caput loci, scilicet inter Altare et tumulum, quia illic collocatur caput Sacerdotis praesente corpore. Quod tamen est expresse a Rubrica vetitum, cum in absolutione absente cadavere, nullam memoret distinctionem, et praecise indicet locum cruciferi ad pedes loci, scilicet inter ianuam Ecclesiae et feretrum: imo Rituale Romanum addit hunc ritum pro defunctis tam Sacerdotibus quam laicis absente corpore servandum esse.

Optime quidem: sed ad difficultatis solutionem memorandum est hic, duas adesse liturgicorum opiniones, notatas etiam a cl. De Herdt *(S. Lit. Praxis, tom. 3, n. 266)* dicente (1): « Alii censent tumulum ita erigendum esse, ut caput versus altare figuret, quia in rituali de exequiis ita praescribitur, et hoc loco de officio faciendo in exequiis absente corpore nullatenus indicatur, tumulum absente corpore Sacerdotis, eodem modo esse collocandum ac pro laico defuncto; alii autem (2) tenent tumulum absente corpore defuncti Sacerdotis, eodem modo ponendum esse ac pro defuncto laico, scilicet cum pedibus versus Altare, quia celebrans in hoc etiam casu consistit inter tumulum et altare ».

Qualis tamen ex his duabus opinio sequenda? Certo secunda; nam cum Sacerdos habeat privile-

---

(1) Rit. Leodiense; Gavantus p. 2, tit. 13, rub. 4, litt. m; Schuld, Man. lit. p. 2, tit. 13, § IV, n. 3.

(2) Bouvry p. 4, s. 1 append. de exequiis tit. 1, n. 4; Le Vavasseur p. 4, s. 1, ch. 4, n. 30; *Revue des sciences ecclesiast.*, tom. 4, fol. 582. Cavalerius autem et Ianssens ab illis citati nihil expresse dicunt.

gium, vi cuius locetur cum capite versus Altare, ratione dignitatis suae, quae sola dat homini terga vertere summae Dei Maiestati in Altari repraesentatae, ac in Eucharistia contentae, hac solummodo uti posse censetur cum ipse praesens est, non autem si absens.

Hinc Rituale Romanum ut diximus, nullam prorsus admittit diversitatem in exequiis absente corpore, et pro omnibus statuit cruciferum sistere debere inter ianuam Ecclesiae et tumulum, Celebrantem vero inter tumulum et Altare, sive pro laico Absolutio fiat, sive pro Sacerdote (*Tit. VI, cap. V, n. 4*).

Quid ergo ex Rubricis erui potest ? Ibi semper sistere cruciferum ubi caput est defuncti, sive physice sive repraesentative. Atque hinc, si agatur de Absolutione defuncti laici, semper inter tumulum et ianuas Ecclesiae, Rubricae praecipiunt, quia semper ibi, aut est aut repraesentatur caput illius. Si agatur de Absolutione defuncti Sacerdotis, aut praesens est corpus, et ponitur iuxta Rubricas crucifer inter Altare maius et tumulum, quia tunc caput Sacerdotis versus Altare manet : aut est absens, et tunc ponitur, item vi Rubricarum, crucifer inter tumulum et Ecclesiae ianuas, quia sacerdotalis dignitas in casu negligitur, et caput Sacerdotis figurat versus Ecclesiae ianuas, sicut caput cuiuscumque defuncti laici etiam praesentis. Ergo etiam e Rubricis optimo iure infertur , locum cruciferi dependere a positione cadaveris, sive realiter sive in figura praesentis.

Verum difficultati hic occurrendum est, quae ex omnium fere Rubricarum locutione oritur, et sic proponi potest : Cum Rubricae tractant de corpore praesente semper expresse dicunt, Subdiaconum sistere debere ad caput defuncti, cum vero tractant de corpore absente, id nunquam dicunt, sed alia dictione utuntur, uti *ad pedes loci, ad pedes tumuli, ad pedes lecticae*. Ergo locus cruciferi, absente corpore non

dependet a positione cenotaphii : aliter Rubricae id expresse dixissent, sicuti constanter dicunt, cum cadaver est praesens.

Respondemus, difficultatem propositam non habere valorem ; quia non tam verba legis consideranda sunt, quam verborum sensus et ratio. Et ante omnia quid per dictiones praedictas intelligi debeat, iam exposuimus ; ita ut dicere *ad pedes loci, ad pedes lecticae, ad pedes tumuli,* idem sit ac dicere: ad locum, ubi caput figurat. Revera, nemo auderet tueri absente cadavere, posse figurari caput inter Altare et tumulum, sed semper considerandum esse inter tumulum et ianuam Ecclesiae. Ergo ex locutione Rubricarum nihil argui potest contra nostram sententiam.

Aliunde « tumulus erigitur, notat cl. De Herdt, ac si corpus adesset, ita ut figuret caput versus portam Ecclesiae, et pedes versus altare *(Pars 6, n. 266)* ». Si ergo quaeratur ratio ob quam Rubricae semper et indifferenter, absente cadavere, volunt cruciferum *ad pedes tumuli, ad pedes lecticae, ad pedes loci,* hoc unum responderi potest omni cum certitudine: quia *ad pedes tumuli, ad pedes lecticae, ad pedes loci* caput defuncti figuratur.

At subsumi posset : Quare igitur dicto modo loquuntur Rubricae, cum diversimode potuissent nisi et debuissent loqui ? Ratio, ni fallimur, est quia saepissime cenotaphium ita construitur, ut nec pedes nec caput cadaveris repraesentare valeat. Fit enim veluti pegma, seu tabulatum, plus minusve elevatum, gradus habens minores vel plures, in quibus ponuntur candelabra cum cereis. Tabulatum autem nunc est formae oblongae, nunc et frequentius quadratae, nunc alterius singularis formae, quae a Rubricis non praescribitur. En ratio, ob quam Rubricae illas dictiones adhibere maluit ; quam defuncti caput aut pedes indicare. Verum caput in cenotaphio cuiusvis formae,

semper supponitur versus Ecclesiae ianuam, nunquam versus aliam partem, et de hoc nemo dubitat.

3. *Quid ex Expositoribus?* Id quod ex Rubricis, et nihil aliud ; quia ipsi Rubricas exponunt et interpretantur. Sed vidimus Rubricas nostrae opinioni favere ; ergo et expositores nobis favere debent. Eorum exinde referre auctoritates esset rem inutilem facere; sicut enim Rubricae, ita ipsi unanimes sunt in dicendo, quod praesente cadavere crucifer debeat sistere *semper* ad caput defuncti : absente vero cadavere, *semper* inter tumulum et portam Ecclesiae : de quo nemo dubitat, si vix aliquem excipias Expositorum, de cuius consequenter sentiendi modo discutiendum erit.

Interim hic quoque praenotamus, λη *semper*, sicut Expositoribus, ita Rubricis, non quidem literaliter sed re, commune, cum agitur de cenotaphio, non esse positum casu, vel sine ulla ratione, id enim egisse aut Rubricas aut Expositores, asseri sine iniuria non potest. Quod patet ex ratione, quam supra diximus, quia videlicet, *semper* crucifer sistere debet inter tumulum et Ecclesiae portam, quod *semper* ibi repraesentatur caput. Nunquam enim accidit, aut accidere potest, ut Expositores, sicut et Rubricae, supponere in casu valeant caput versus Altare. Ergo, etsi Expositores hoc sileant, quod Rubricae dispositionis rationem non inquirant, nos tamen non silebimus; et concludemus, ideo Expositores praescribere *semper* cruciferum, absente corpore, inter tumulum et Ecclesiae ianuam, quia ibi *semper* caput repraesentative est. Cum autem agitur de Absolutione praesente corpore, et Rubricae et Expositores coguntur dicere, cruciferum sistere debere *semper* ad caput, et non aliter ; quia positio cadaveris mutatur, cum alia sit pro laico, alia pro Sacerdote defuncto. En unica, vera et certa ratio diversae locutionis, sicut et Rubricarum,

ita et Expositorum, vel aliter sentientes diversam rationem afferant, si possunt.

Nunc ad illos auctores deveniamus, qui nobiscum videntur non consentire, ut omnes agnoscant, an bene ipsi sentiant, an male.

Gavantus (*Thes, S. Rit. Part. 2, Tit. XIII)* Rubricam Missalis exponens, sic ad rem ait : « . . . Celebrans debet esse semper inter Altare, et tumulum, seu lecticam Mortuorum absente corpore ; Subdiaconus contra Altare ad pedes lecticae seu tumuli: praesente vero corpore servetur Rituale citatum ». Quem tam clarum textum commentariis illustrans Meratus in hanc diatribam erumpit : « Diximus supra, quod Subdiaconus deferens Crucem, quando Defunctus est praesens semper stare debeat ad caput eiusdem Defuncti quicumque ille sit : verum iuxta nostrum Castaldum in Caeremoniali nostrae Congregationis *lib. 2, cap. 39*, idem Subdiaconus medius inter duos Ceroferarios, si Defunctus sit Sacerdos, sistere debet ad pedes contra Altare, non vero ad caput ; unde iuxta eumdem Auctorem et praxim etiam omnium fere Ecclesiarum, ut asseverat Baruffaldus infracitandus, semper praefatus Subdiaconus sistit eodem loco ; ita ut stet cum Cruce contra Altare, numquam vero humeris ad Altare versis, et facie contra populum seu ianuam Ecclesiae ; quam praxim et dispositionem reiicere non possum ; nam si Subdiaconus sisteret se in casu Sacerdotis defuncti ad caput ipsius terga verteret Altari, et Cruci eiusdem; quod indecens, et deforme videtur : et ob hanc rationem in hanc nostram sententiam inclinat etiam Baruffaldus, *titul. 36, num. 150* ». Et hoc modo per integram paginam insistens, sententiam suam manifestissime Rubricis oppositam demonstrare conatur. Ex quo sequeretur, ut patet, non semper Cruciferum ad caput defuncti se collocare debere. Sed cum bona Merati pace dicendum est, Rubricam esse servandam, et sententiam auctoris

absolute reiiciendam, quia falsam. Sed et falsa etiam illius argumentatio ; nam Subdiaconus deferens crucem, attenta ratione intima huius symbolicae positionis, et duo hinc inde ceroferarii novum quoddam Altare repraesentant, vi cuius aliud post ipsum Altare amplius non consideratur, adeo ut ita sit ac si nullo modo esset. Nulla ergo est indecentia, quam admittere absurdum est, sicut absurdum est dicere, Rubricas indecentiam velle. Hinc Cavalerius qui in Merati sententiam ante abierat, re maturius perpensa, postea scripsit : « Ruunt itaque *(Comm. in aut. S R.C. Decr. Lib. 3, cap. XV, App.)* quae cum Merato, aliisque nos ipsi dedimus : quare Subdiaconus cum cruce se collocare debebit inter feretrum et Altare, et non inter feretrum et Ecclesiae ianuam, quoties exequiae peragendae super cadaver Sacerdotis, quod praesens sit ; secus vero quando praesens non est, sed exequiae peraguntur super tumulum seu cenotaphium, etsi hoc repraesentet praesentiam Sacerdotis, de quo aguntur ».

Hinc quoque certo inferri debet, errare graviter Castaldum, si vera sunt quae de eo Meratus dicit ; et errare pariter Baruffaldum, qui loco super citato eamdem tenet, vel tenere videtur sententiam Merati. Cum itaque tam Meratus quam Baruffaldus, non vero Gavantus, nec forte Castaldus, qui in suo Caeremoniale nil habet pro erronea Merati opinione, indubie stent contra Rubricas, nec consequenter audiendi sint, manifestum est, ex iis sententiam nostram infirmari non posse, vi cuius semper crucifer stare debet ubi est defuncti caput, vel in re vel in figura.

Sed et cl. De Herdt videtur nobis opponi, quatenus, relatis duabus sententiis, ex quibus altera docet cenotaphium Sacerdotis ponendum esse cum capite versus Altare, et altera e contra cum capite versus portam Ecclesiae, postea concludit : « Quomodocumque autem tumulus ponatur, crucifer tamen se semper sistit inter tumulum et portam Ecclesiae . . . . . .

Rubricae enim Missalis (1), Ritualis Romani (2) et Caeremonialis Ep. (3) absente corpore hanc positionem generaliter praescribunt ; et addit Rituale Romanum, eumdem ritum pro defunctis tam Sacerdotibus quam laicis , absente corpore , servandam esse *(Pars 6, n. 266)* ». Cum itaque dicat auctor, semper Subdiaconum cum cruce sistere, absente cadavere, inter tumulum et ianuam Ecclesiae, quamvis admittat caput Sacerdotis in cenotaphio collocari posse inter tumulum et Altare, iam patet ipsum esse contra sententiam, quam sustinemus, et negare implicite, locum cruciferi dependere a positione cenotaphii.

Sed verba illa « **quomodocumque tumulus ponatur,** *Crucifer se semper sistit inter tumulum et portam Ecclesiae* » defendi non possunt. *a)* Uti enim demonstrasse censemus, Rubricas generalissime loquentes satis ostendunt, cenotaphium pro defuncto Sacerdote eodem modo componendum esse, sicut pro defuncto laico. *b)* Insuper Pontificale Romanum agit de Absolutionibus Pontificis, Cardinalis, aliorumque virorum insignium, absente cadavere, et explicite dicit : « Acolythi vero Ceroferarii ac Subdiaconus cum cruce vadunt ad pedes loci (*De Off. sol. post Miss. pro Defunctis)* ». Quomodo ergo supponere Rubrica posset, caput esse debere vel posse versus Altare, et nihil dicere ? Ergo cum agitur de Absolutione Sacerdotis defuncti, absente corpore, idem pariter agendum est, imo a fortiori ; et Rubricae Missalis, Ritualis et Caeremonialis, eodem sensu et non alio intelligi debent. Ponere ergo crucem ubi caput figurative non est, manifeste Rubricis opponitur. *c)* Adde omnium Ecclesiarum, maxime Urbis, consuetudinem, quae sic semper et non aliter intendit Rubricas. Ergo minus recte ceterum cl. De Herdt locutus est in casu. Hoc ergo tantum ex expositis et discussis valemus concludere, nullum ex Expositoribus, si qui errant exci-

(1) Rit. cel. m. lit. 13, n. 4. (2) Hoc loco.
(3) Lib. II, cap. 11, n. 15, 24.

pias, esse sententiae nostrae contrarium. Imo ex iis quoque optimo iure eruimus, cruciferi locum, a positione cadaveris vel cenotaphii omnino dependere; quia sicut Rubricae, ita et ipsi silent rationem, ex qua crucifer sistere semper debet ad caput defuncti, si praesens sit cadaver, ad pedes loci, si absens. Quam tamen certam rationem nos deteximus, nec sapiens quisquam in dubium revocabit.

4. *Quid e sensu liturgico?* Rebus, actionibus, verbis, sacram constituentibus liturgiam, utitur ad exprimendum in sancta dogmata cultum, ab ipso Iesu Deo uti pretiosum fidei depositum ei relictum, Ecclesia Mater nostra et Christi sponsa, ut cultum Deo debitum reddat.

Quem ad consequendum finem nullus tam facundus populi christiani doctor, nullum tam universale, eloquens ac omnium captui accommodatum signum, quam sacrosancta Christi in cruce affixi figura. Hoc signo, gloriosae victoriae labaro toto vitae tempore christianum munit Ecclesia: in salutari baptismatis lavacro, aquam in capite eius ad modum crucis infundit, crucemque signat in fronte, et in corde: in sancto confirmationis sacramento et in fronte crucem oleo fortitudinis ac perseverantiae ungit: in sacramento poenitentiae eum per absolutionem quam signo crucis sociat, iustum dimittit: in sacrosancto fidei mysterio Christi corpus, fideli cruce signato ad sumendum praebet; et sic in reliquis aliis fontibus gratiae christianum haec pia Mater sancte ac salubriter continuo, per signum crucis sanctificare satagit. Nil ergo magis consequens ac necessarium, quam ut idipsum nec post mortem relinquat; sed eodem signo, quod illi viventi fidem, spem ac amorem infundit, per Christum crucifixum, quem ad caput illius ponit, corpus ad repositionis locum comitetur. Antiquae legis Sacerdotes in sacrificio super caput agni extendere consueverunt manus in possessionis iudicium. Christianus, uti vivens, ita defunctus ad Christum Ecclesiamque perti-

net : ut haec videatur eiusdem Christi suique proprietatem significare per crucis praesentiam ad caput illius. Crucem enim videtur in eo loco ponere, ad denotandum illum ad Christum et se in vita pertinuisse, et usque ad ultimum pertinere. Quam dulcis, quam suavis ritus ! At num melior daretur locus huius signi apponendi, quam caput defuncti, utpote partem nobilissimam totius corporis, unde spiritualis animae manifestationes manant, cogitata, ideae, sumiturque ad denotandum totum corpus, ut optime accipitur ad significandam possessionem ipsius ?

Sed praeterea, ut propius ad rem accedamus , Subdiaconus cum cruce ac Ceroferariis ad eius latera, Altare, uti alias innuimus, constituit. Celebrans ita alio in loco vi Rubricarum sistit, ut crucem, vel melius, praefatum Altare prospiciat : cadaver autem seu physicum seu repraesentativum extat in medio positum. Iam nunc si ponas cruciferum esse semper ad caput defuncti, Celebrans rite ac naturaliter peragit caeremonias omnes ritusque circa cadaver, cuius caput respicit, praescriptos. At, si e contrario cruciferum ponas, non ad caput, sed ad pedes cadaveris, nullo negotio patebit singularis anomalia ; nam Celebrans sisteret ad caput cadaveris, quod innaturali modo circumire deberet ; ut taceamus positionem cadaveris ante Sacerdotem, ipsiusque Sacerdotis ante cadaver, cuius pedes omnino difformiter et contra naturalem modum toto funeris tempore aspiciat.

Et adhuc : crucem Christi, spem nostram ac salutem, Ecclesia in omnibus liturgicis ritibus in loco nobiliori semper collocat : sicque eam aspicimus ad summum et in medio Altaris, primas tenere in processionibus sacris, universaque monumenta christiana defunctorum in ea compleri. Solemne ergo in hoc funebri ritu minus nobile, imo infimum locum obtineret ? Quis haec asseret ?

Haec satis sint, ut colligamus, et e recto sensu,

maxime liturgico, locum cruciferi semper esse ad caput defuncti, ideoque immutari, prout immutatur locus capitis cadaveris praesente corpore, prout est Sacerdotis vel laici, et esse semper inter ianuam Ecclesiae et tumulum in exequiis absente corpore, hac sola ratione, quia illic est figurative caput defuncti sive Sacerdotis, sive laici.

Tempus est ut, praecipua quaestionis solutione in tuto posita, ad ultimam enodandam difficultatem deveniamus, de qua obiter iam aliquid in initio attigimus : nimirum an eadem iura ad absolutionem, praesente corpore, pertinentia, etiam praesentiae quae moralis dicitur merito competant. Et in primis notandum est, quod distinctio inter praesentiam physicam et moralem est omnino recens. Nam inter innumera bona (!) quae nobis civiles vigentes leges attulerunt, adnumeranda etiam dispositio, ex qua cadaver moveri e loco nequeat, nisi prius necroscopus illius comprobaverit mortem. Ut autem hanc comprobationem exequatur, aliquod temporis spatium necessarium est. Hinc crebro fit, ut cadaver non possit esse praesens in Ecclesia, quando pro anima ipsius suffragia peraguntur. Praesentia autem physica defuncti uti quid grave iudicatur ab Ecclesia: hinc Missam **praesente corpore omnino** exigit Rituale (*Tit. VI, cap. 1, n. 4*). Quae tamen, sicut fere omnes alii ritus funebres, nonnisi absente cadavere haberi possent.

Notandum insuper, et hic agi de cadavere Sacerdotis, cuius praesentia peculiariter in Absolutione speciali praerogativa decoratur habendi caput ad Altare, non autem de cadavere laici, cuius Absolutionis ritus semper sunt iidem tum praesente, tum absente corpore.

His positis, cogimur statim affirmare, praesentiam moralem superiori explicato sensu acceptam iisdem gaudere iuribus ac praesentiam physicam.

Et primo observamus, praesentiam moralem nullo pacto confundi posse cum simplici absentia. Namque

simpliciter absens dicimus cadaver, quando nec potest nec debet esse praesens ; idque accidit diebus III, VII, XXX, anniversaria , et quacumque alia die fit Absolutio extra diem obitus vel sepulturae. Moraliter vero praesens dicendum est cadaver, quando et potest et debet esse praesens, sed per accidens, et generaliter ex supradicta ratione, quam tolerare cogitur pia mater Ecclesia, transferri in templum non potuit : quod solum accidere potest in die aut pro die obitus. Videre ergo est inter praesentiam moralem et simplicem absentiam essentiale discrimen. Quare ergo moralis praesentia considerari debeat uti simplex absentia, dicat qui intelligere id potest, nos non possumus.

Secundo, ab omnibus hoc omnino admittitur , hanc recognoscendi mortem civilis potestatis dispositionem non raro retardare iurium Ecclesiae exercitium circa fideles defunctos, imo et ardens illos suffragiis iuvandi desiderium.

Idcirco si Ecclesia perageret suffragia Sacerdotis ante habitam recognitionem cadaveris, uti absentis, iuribus suis quodammodo abdicaret, et civilis legis causa fere semper cogeretur Sacerdotes defunctos aequiparare laicis : quod gravissimum esse incommodum nemo sapiens diffitebitur.

Namque Ecclesia ita se gerens privaret Sacerdotem suum peculiari praerogativa, quae illi semper et ab omnibus adiuncta fuit , utpote quae ex altissima dignitate nascitur, et qua semper vel fere semper Sacerdotes orbati essent, cuius velut iniustitiae actus nullo negotio patescit.

Nec desunt. tertio, extrinseca auctoritatis testimonia, quorum aliqua in *Ephem. Litur.* (An. 13, n. 10, p. 657-658) recensentur. Ita in una *Veronen.* ad 3 quaerebatur : « Utrum corpore Sacerdotis insepulto, ob aliquam rationabilem causam non praesente, Subdiaconus in exequiis se sistere debeat inter feretrum

et Altare, vel saltem possit ? » Et responsum fuerat : « Negative ». In nova autem Collectione hoc Decretum expunctum fuit. Cur ? Nonne in hoc actu videre est illud novis istis temporibus non amplius esse accommodatum, novumque nunc ius vigere ad moralem praesentiam statuendam? Et revera in Decreto Generali die 2 Decembris 1891, n. 3755 ad II statuitur : « Quod si ex civili vetito aut morbo contagioso, aut *alia gravi causa* cadaver in Ecclesia praesens esse nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, Missa exequialis celebrari quoque poterit eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens ». Quare ergo solummodo Absolutio, quae est naturale Missae exequialis complementum, deberet peragi ac si cadaver esset simpliciter absens ?

Quinimo, si dictum Decretum Gen. attente consideres, necessario thesim nostram admittere debes uti veram. In eo enim admittitur Missa solemnis *in die obitus*, et prima vice *post obitum*, vel *post acceptum nuntium obitus*. Sed notare oportet, illam in die obitus semper permitti, solemnioribus tantum exceptis festis : hanc vero, limitationem satis maiorem sufferre. Quare ? Quia in illa supponitur praesentia physica, in ista vero supponitur absentia , quod nemo ambigit. Sed quaerimus : Quid significant illa verba: **die et pro die obitus ?** Antiquitus haec dicendi ratio non adhibebatur : quare nunc adhibetur ? Profecto ut lectores attendant, praesentiam cadaveris physicam, quae **in die obitus** significatur, et praesentiam moralem expressam in verbis **et pro die obitus** esse unum et idem, et ratione temporum, inter utramque non fieri discrimen. Quod ulteriorem confirmationem accipit ex aliis verbis, quae docent, cadavere non praesente, utique physice, in Ecclesia ob civile vetitum aut morbum contagiosum aut alia gravi causa, eamdem Missam esse concessam etiam in altero ex duobus immediate sequentibus diebus. Quomodo enim

cantanda? **Eodem prorsus modo ac si cadaver esset** *(physice)* **praesens.** Nonne hic cum **physica** deficiat, esse tamen debeat, **moralis praesentia,** quam praedicat Sacrorum Rituum Tribunal, luce meridiana clarescit?

Sed iterum obiicere potes, hic de Missa agi, non de Absolutione. Et nos respondebimus iterum, non intelligi huius obiectionis vim, quia accessorium sequi debet naturam principalis.

Arroges denique, sic legem intelligi in Urbe, sic fieri in Ecclesiis, cum ritus et Caeremonias in defunctorum exequiis Cardinalium, Episcoporum et Sacerdotum aliquorum, moderantur Apostolicarum Caeremoniarum Magistri. Addas etiam sentiendi rationem, hac super re, totius Commissionis Liturgicae, quam expresse audire sategimus. Denique ipsam S. R. Secretariam adivimus, ibique ab auctoritatem habentibus sententiam nostram certam esse accepimus, ac in praxi omnino ubique sequendam.

Ergo, omnia resumendo concludimus, et locum cruciferi a positione cadaveris vel cenotaphii dependere, et praesentiam moralem cadaveris iuribus gaudere, uti praesentiam physicam.

JOSEPH DOCT. D' ADAMO
Clericus magni Licaei Gregoriani

DUBIORUM LITURGICORUM SOLUTIO

I. *Ex Goritia.* **De Proprio Dioec. a S. Sede approbato, novis Decretis non amplius cohaerente.** Ephem. Liturg. anni 1897 ad Pag. 210 docuerunt diem natalitiam habere semper praecedentiam prae die assignata, vel haec illi semper cedere debeat. Attamen in directorio Archid.

Goritiens. cuius Proprium Dioec. approbatum est a Sede Ap. dies assignatae praecedentiam tenent super diebus natalitiis. Cum tale quid a S. R. C. die 12 Dec. 1840 sit confirmatum possuntne festa sanctorum propria die celebrari natalitia, repositis illis qui non essent in die natalitia, sed in die assignata, et estne licitum hoc peragere, quin S. R. C. interrogetur?

Resp. Doctrina, quam *Ephem.* in loco citato a Rev. Consulente tradiderunt, excerpta erat ex Decreto quam primum evulgando, quod nunc legi potest in nova Collectione Decretorum Vol. III, num. 3811. Idcirco normae ibidem traditae adhaerendum est in confectione calendariorum. Sed cum dari possit ut Propria alicuius Dioecesis regulis in Decreto traditis non conveniant, exurgit quaestio, nempe an liceat eiusmodi Propria iuxta regulas novissimas emendare? Responsio satis clara est. Propria Dioecesum cum a S. Sede approbata sint, non licet aliquam mutationem in illis inducere, absque venia S. Sedis; ideoque omnia uti iacent relinquenda sunt. Si autem, uti in casu, graviora incommoda exurgant, nam, ex. gr. die 18 Iulii celebratur Festum S. Ioannis Gualberti, die 21 S. Camilli de Lellis, die 2 Augusti S. Vincentii a Paulo, die 5 Octobris S. Alphonsi de Ligorio, etc.; tunc consultius videtur ad S. Sedem pro nova Proprii reformatione recurrere, quae regulis novissimis adamussim respondeat. Interim autem Proprium in omnibus sequendum.

II. *Ex Eystadio.* **De Missa exequiali probibita, et de transferenda.** Quaeritur 1: Utrum Decretum detur, quod accuratius indicet illa duplicia 1ae classis aliosque dies quibus Missa exequialis prohibetur, an non? 2: Utrum Missa exequialis, si die depositionis et sequenti biduo sit impedita, e. gr. si in feria V maioris Hebdomadae exequiae fiant, transferri possit an non? Et si affirmative, allegetur respectivum Decretum et explicentur regulae translationis.

Resp. Ad 1. Datur Decretum, et legi potest in Vol. III novae Decretorum Collectionis num. 3755, die 2 Decembris 1891. En Decretum: « Ad 1. Missam unam solemnem vel cum cantu, in die et pro die obitus, praesente cadavere, fieri posse quandocumque non occurrat aliquod ex festis duplicibus primae classis solemnioribus, seu universalis Ecclesiae, seu Ecclesiarum particularium, ex praecepto Rubricarum recolendis. Quibus in festis comprehenduntur etiam pro universali Ecclesia ultimum triduum maioris Hebdomadae, non autem feria II et III Paschae et Pentecostes : pro particularibus vero Ecclesiis die Dominica in quam solemnitas Festi infra Hebdomadam occurrentis alicubi ex indulto transfertur, modo celebretur a populo: nec non ubi et donec Eucharistia solemniter exposita habeatur. Reliquis autem quibuscumque diebus eadem Missa permittitur in omnibus Ecclesiis, illis tantum exceptis, in quibus unicus est Sacerdos; dum tamen aut Missa parochialis seu conventualis dicenda est, aut Missam Rogationum vel Vigiliae Pentecostes, quae transferri non possunt. Ad 2. Quod si ex vetito civili, aut morbo contagioso, *aut alia gravi causa*, cadaver in Ecclesia praesens esse nequeat, imo etsi iam terrae mandatum fuerit, praefata Missa celebrari quoque poterit in altero ex immediate sequentibus duobus ab obitu diebus, eodem prorsus modo ac si cadaver esset praesens ». Ita Decretum.

Quae vero sint in particulari festa solemniora primae classis tam universalis Ecclesiae, quam Ecclesiarum particularium, in quibus Missa ista exequialis dici nequit, videat Rev. Consulens in Catalogo Festorum qui in Breviariis post generales Rubricas invenitur; vel si magis lubet, videat Decretum num. 3810 in Vol. III novae Collectionis. Alia festa tam in Ecclesia universali, quam in Ecclesiis particularibus, quae impediunt Missam exequialem, clare supra designata sunt.

Ad. 2. Affirmative. Est numerus tertius Decreti supra citati. « Ad 3. Denique eadem Missa celebrari poterit *pro prima tantum vice* post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, die quae prima occurrat non impedita a Festo duplici primae vel secundae classis vel a festo de praecepto: quo etiam in casu Missa dicenda erit ut in die obitus ». Igitur si die infra biduum ab obitu vel depositione Missa exequialis celebrari non potest, celebrari potest prima die quae occurrit non impedita a festo duplici 1ae vel 2ae classis vel de praecepto. Hoc significant verba illa, *pro prima tantum vice:* quando nempe, uti diximus, nulla Missa exequialis celebrata fuit; idcirco quae celebratur diebus non impeditis dici potest *prima*, quae celebratur. Regulae translationis sunt satis clarae. Post biduum ab obitus vel depositionis die *per se* Missa exequialis celebrari non potest: sed si adsit impedimentum tunc celebrari potest, prima die libera non impedita etc., ut supra in Decreto. Accipe exemplum : Titius obiit feria IV maioris Hebdomadae et sequenti die sepelitur; Missa exequialis celebrari non potest, uti patet ex Decreto supra relato, usque ad Dominicam Resurrectionis inclusive. Sed neque feria II et III celebrari potest, quia biduum ab obitu vel depositionis die iam finivit, et Decretum ad 3 iubet quando Missa exequialis celebrari non potest infra biduum et idcirco transferri debet, eam impediri non solum a festo dupl. primae classis, sed etiam secundae classis, etc. In casu autem feria II et III sunt primae classis. E contra, si Titius feria VI in Parasceve supremum diem obiit et sequenti die terrae mandatur, biduum amplectitur feriam II, et Missa exequialis dici potest. Idem dicatur in aliis casibus.

Ita statuebat ius antiquum circa Missam exequialem die obitus impeditam, cui derogatum non fuit in nova Decretorum Collectione.

Nota. In dubio secundo dicitur: *si feria V maioris Hebdomadae exequiae fiant.* Haec verba indigent explicatione. Feria V in coena Domini exequiae in Ecclesia ubi SS.mum expositum est celebrari nequeunt, et in triduo maioris Hebdomadae non licet eas peragere *solemniter* item in Ecclesia. Idcirco credimus ibidem agi de exequiis quae in coemeterio vel privatim in Ecclesia fiunt. Si vero agitur de exequiis ut in aliis diebus non solemnioribus fiunt, tunc sciat Rev. Consulens eas non licere, uti dictum est.

III. *Ex eod. loco.* **De Anniversariis late Sumptis quibusdam in casibus.** Quaeritur 1: An anniversariá late sumpta permittantur etiam in die octava non privilegiata, quae quidem habet ritum dup. min.; sed in occurrentia respuit dupl. maius? — 2. Utrum in Decreto novae Collectionis n. 3213 ad IV agatur de anniversariis late sumptis, an non? Et si affirmative, quomodo haec cum decisione concordent, quam dant *Ephem. Liturg.* in Vol. XI pag. 530 et Vol. XIII pag. 523?

Resp. Ad 1. Pluries in *Ephem.* docuimus quae sint Anniversaria *late sumpta* (Conf. si lubet *Ephem.* Vol. XI pag. 530); idcirco heic pauca adnotabimus. Anniversarium *late sumptum* dicitur illud, quod piae Communitates, Congregationes, Confraternitates, Capitula etc. celebrare solent, semel in anno, pro animabus confratrum, qui supremum diem obierunt. Dicitur vero late sumptum, quia celebratur alia die ab illa anniversaria obitus seu depositionis. Haec anniversaria non omnibus fruuntur iuribus, quae anniversariis *stricte sumptis* competunt. In novo iure liturgico tamen *de speciali gratia* nonnulla privilegia illis tributa sunt: nam permittitur « ut in duplicibus minoribus celebrari possint » (Decret. Generale *d. d. 2 Decembris 1891, num. 3753, ad V*), quod prius non licebat. Nobis igitur videtur, quod si haec anniversaria celebrari possunt in festo ritus duplicis minoris, celebrari etiam possint in die octava non privile-

giata, cum et ipsa eiusmodi ritus sit; quae vero respiciunt translationem festorum, non sunt applicanda ad officia defunctorum.

Ad 2. In Decreto citato agitur quidem de anniversariis late sumptis, uti patet ex ipsis verbis, nam quaeritur: « In Metropolitana Olomucensi a fundatione Capituli celebrantur quotannis quinque Missae solemnes pro defunctis; quarum una pro Benefactoribus, altera pro Archiepiscopis, tertia pro omnibus in Metropolitana sepultis, quarta pro fundatoribus Metropolitanae, quinta pro defunctis Canonicis. Cum autem hi omnes recensiti non una eademque die obierint, quaeritur: Num praedictae Missae celebrari debeant ut in anniversario defunctorum? » Responsio: « Affirmative; excepta Missa pro Episcopis defunctis, quae celebrari debet ut in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum ». Sed doctrina hic tradita minime pugnat cum illa ab *Ephem.* tradita in Vol. XI, loco citato. In Decreto enim agitur de anniversariis quae vere *late sumpta* dici possunt; sunt enim pro pluribus personis unum corpus morale efficientibus; in *Ephem.* e contra agitur de fidelibus in una Paroecia defunctis, qui nonnisi valde improprie unum corpus morale efficere dicuntur. Ceterum, notandum est ius pro anniversariis late sumptis *ex speciali gratia* oriri, idcirco tantum extendi potest, quantum lex et voluntas legislatoris permittit. Lex vero ita se habet: « *De speciali gratia* vero permittitur, ut in duplicibus minoribus celebrari quoque possint anniversaria, quamvis a die obitus non sint, quae a Religiosis Communitatibus, a Canonicorum Collegiis, a Confraternitatibus aut ab aliis quibuscumque piis sodalitatibus, pro Confratribus defunctis semel in anno fieri solent, *nec non illa, quae pro fidelium pietate infra octavam omnium fidelium defunctorum locum habet, exceptis diebus etc.* (Decr. sup. cit. num. 3753)». Notentur verba posteriora quae charactere

diverso impressa sunt; ibidem enim habetur alia concessio, respiciens anniversaria, quae talia nec stricte neque late sumpta dici possunt. Haec est lex, illique standum est.

IV. *E Meta Surrentina.* **De nulla ratione considerandi doctoratum in sacris.** Quaeritur, utrum titulus doctoratus, seu laurea doctoralis (*quae tantopere impraesenti in usu est, atque etiam in abusu*) ius conferat tituli *Reverendissimi* clerico illa insignito. Ratio dubitandi est, quod Doctor censetur in dignitate ecclesiastica constitutus (*Conf. Reinffestuel, tit. de magistr. n. 6, et Schmalzgrueber, eod. tit. n. 4*). Hinc consequens, utrum Doctor, ceteris paribus, gaudeat praecedentia?

Resp. Negative ad utrumque. Ut certa negativae responsionis ratio intelligatur, notandum est, gradus doctoratus, quidquid sint in civilibus, nil esse in sacris, ac proinde ius prorsus nullum tribuere. S. R. C. definit Doctores ipsum biretum cum quatuor apicibus, quibus in disciplinis theologicis vel canonicis utenti facultatem possident, in sacris adhibere non posse. Rationem affert, et est quia **biretum** eiusmodi **non est chorale indumentum** (*Venusina, 7 Dec. 1814*) (1) Facile inferes. Doctoris titulum in functionibus sacris et ecclesiasticis considerandum non esse, cum haec, haud alia, sit praefati bireti quod Doctoris insigne est, prohibitionis ratio. Si ergo nulla sit consideratione dignus Ecclesiasticus quatenus Doctor, manifesto

(1) De Herdt notat: « Biretum, quod gestant Germani, Galli, Hispani et Belgae, quatuor cornua seu angulos in modum crucis habet. Soli Itali bireto utuntur tribus tantum angulis elevatis ornato, in quo tamen crucis figura retinetur, atque id ad honorem SS. Trinitatis factum fuisse aliquorum opinio est. Biretum tamen cum quatuor apicibus iuxta usum Romanum proprie est doctorale, quali clerici in ecclesiasticis functionibus uti nequeunt (*Prax. Pontif. lib. I, cap. 4, n. 6 in nota*) ».

sequitur illius honorem nullum ius tribuere, sive ad titulum Reverendissimi, sive ad praecedentiam super aliis. Etenim quod nihil est in casu, tribuere nil potest. Hinc praelaudatus De Herdt docet doctoratus qualitatem non dare praecedentiam supra Canonicos antiquiores, citatque etiam Barbosa *De Canonic.* Cap. XVIII, n. 11 (*Prax. Capitul. Cap. VIII, § 9, n. 3*). Insuper cl. Sancti *Instit. Iur. Can. Lib. V, Tit. V, num. 14*) loquens de iuribus Canonici Theologi, postquam dixit, Praebendam theologalem non dignitatem constituere, sed officium, sequentia addit: « Nec iuvat animadvertere iuxta Const. **Pastoralis** Benedicti XIII requiri in Canonico Theologo lauream doctoralem, quemadmodum requiritur in dignitatibus, nam laurea exigitur ceu argumentum idoneitatis. Hinc ius honoris et praecedentiae nullum competit Canonico Theologo, sed aliis communibus Canonicis accensetur, et prioritatem tantummodo obtinet ratione temporis, id est iure aetatis ».

Quod vero attinet allatas auctoritates peritorum, reponimus haud recte applicari ad casum nostrum, quae isti dicunt. Non enim de dignitate aliqua peculiari et ecclesiastica loquuntur, sed tantum in genere, et civili. Iuvet referre verba Schmalzgrueber: « Quaeritur 2. Quaenam privilegia habeant Magistri et Doctores Theologiae, Iuris et medicinae ? *Resp.* Ex his quaedam sunt communia Doctoribus Theologiae, Iuris et Medicinae, quaedam particularia. Inter communia est 1. quod per gradum doctoralem e plebeia conditione eximantur, et cons. in dignitate constituantur; *arg. cap. quanto 3, hoc tit. Clem. 2. eod.* Reinffestuel *num. 6. ibid.* et teste Mend. *loc. cit.* consentiunt communiter DD. (*Tom V. Pars I. Tit. V, De gradibus*) ». Quid autem ad nos seu ad ecclesiasticas functiones? Prosequitur inde enumerando quae peculiariter Doctoribus competunt, sed semper in re civili, nunquam ecclesiastica: *hoc unum*

excepto quod Doctores prae reliquis admovendi sint ad officia et dignitates sive ecclesiasticas, sive saeculares. Nota tamen de hoc rationem; quia, nempe, pro iis *stat virtutis integritatis et innocentiae praesumptio*, profecto nisi contrarium constet. Titulus cetero *Reverendissimi* et ius praecedentiae iis tantum competit in sacris, seu in functionibus ecclesiasticis quibus a iure liturgico concessum est. Atqui non est concessum Doctoris laurea insignitis, imo contrarium constat; ergo neutrum illis competit.

Nota. Praefato dubio aliud adiungimus, hac nota, ratione connexionis, et respicit annulum, quod Canonici, sive qua Doctores, sive qua Protonotarii, ius ferendi habent: quando videlicet iis sit prohibitum in actibus sacris. Et reponimus, antiquitus quatuor extitisse hoc super negotio Decreta. Primum quaerebat « An prohibitio facta per hanc S. C. circa delationem annuli, quando Protonotarii celebrant, comprehendat etiam Canonicos Cathedralis ». Cui responsum fuit: « Affirmative; » et hoc Decretum in nova Collectione servatum est sub num. **483** (780). Alterum pro parte Hectoris Troiani Protonotarii exigebat, ut S. C. declararet: « illum non teneri Decreto Episcopi, prohibente sub poena suspensionis in Missarum celebratione delationem annuli ». Responsum vero S. Tribunalis fuit. « Lectum ». Et hoc quoque servatum est sub num. **536** (863). Alia duo sub num. 2441 ad 11, et 2514 ad 2 e nova Collectione exularunt. Ergo iure concludimus, delationem annuli esse prohibitam Protonotariis, et a fortiori Doctoribus, etsi Canonicis, dum Missam celebrant: in aliis vero functionibus non esse prohibitam, uti dum fit processio, dum assistunt in choro, dum confessiones, etiam in Ecclesia, excipiunt etc.

V. *E Rucuvis in America Sept.* **De inclinationibus Ministrorum sacrorum in Missa solemni.** Cl. Wapelhorst (*Compendium Sacrae Liturgiae*) loquitur de Diacono ad Introitum

in Missa solemni (pag. 136): « Attamen nec se signat, nec caput versum crucem inclinat », scilicet simul cum celebrante. » Item pag. 138 : « Stat in linea recta retro celebrantem. Ad *Oremus* et quando in oratione nomen *Iesus* profertur, non inclinat ». In utroque loco citatur S. C. R. decretum, die 30 Decembris 1881, *Urgellen.* n. 5830. Rectene applicatur in casibus allatis hoc decretum contra omnes ni fallor, auctores, Wapelhorst tantum excepto ?

Resp. Negative. Ut ratio responsionis innotescat, Decretum citatum perpendendum est, cuius numerus antiquus (5830) ad IV, respondet recenti **3535** in Dubio III. En itaque illius verba : « Utrum Diaconus et Subdiaconus (quando patenam non sustinet) se conformare debeant Celebranti, quotiescumque hic caput inclinat, vel seipsum signat : an vero id tantum facere debeant quando Celebrans se signat aut caput inclinat, aliquid proferens **voce non secreta ?** ». Huic duplici petitioni, quae continet primam dubii partem, S. R. C. respondet : « Negative in omnibus ». De altera parte silemus, cum ad quaestionem propositam non pertineat. Nunc si sistamus in primo huiusce partis quaesito, perspicue constat, aliter S. R. Congnem respondere non potuisse, quam negative. Etenim Diaconum et Subdiaconum debere caput inclinare, aut se signare, quotiescumque Celebrans vel caput inclinat vel se signat, idem esset ac dictos Ministros obligare ad plures actus faciendos reverentiae sine ratione et sine sensu ; eo quod, cum petitio sit generalissima, Ministri deberent inclinare caput et se signare in illis etiam verbis, quae secreta sunt, et Celebrans ita proferre ad minus potest, ut a nemine audiatur, haud ipsis ministris exceptis. Conformarent ergo se Celebranti in signis, quin audire verba valeant, quibus signa necessario respondent : quod profecto irrationabile est, sensumque non habet, uti patet. Iure igitur ad pri-

mum dubium dictae partis applicatur negativa responsio; quae enim secreta sunt, soli Celebranti conveniunt, non vero Ministris, consequenter et illi soli conveniunt signa et cruces, quae secretis verbis respondent.

Transeamus ad alterum dubium eiusdem partis, quod quidem videtur primo contrarium, sed revera non est ejusmodi. Quaeritur enim, an dicta signa agere Ministri debeant, cum aliquid Celebrans profert **voce non secreta.** Sed nos iure postulamus, quid significet verba proferre **voce non secreta**? Haec enim locutio e Rubricis non est: quae dicunt, aliqua verba dicenda esse in Missa **voce clara**, aliqua vero **secreto**, seu voce **secreta** (*Tit. XVI, n. 1*). Iam ergo apparere incipit dubii obscuritas, quod mutata fuerit loquendi ratio Rubricarum. Sed procedamus. Quaenam sunt verba, quae Celebrans profert **voce non secreta**? Respondebis fortasse, esse illa omnia quae proferuntur **clara voce**, vel melius *submissa voce*, quia hac voce proferenda sunt in Missa solemni, quae *clara voce* proferuntur in Missa privata (*V. Rubr. Miss. loc. cit.*). Nos autem respondebimus primo: *transeat*, quia eiusmodi se exprimendi modus e Rubricis non est, ut supra diximus. Sed, quod magis interest, reponimus secundo, verba quae **voce non secreta** proferri possunt, et generaliter proferuntur a Celebrante in Missa solemni, non sunt illa tantum, sed alia quoque omnia, nec ipsis *secretis exceptis*; quia haec ut plurimum Celebrans proferre cogitur non tam *secreto* quam *submissa voce*, seu *voce non secreta*, ne in aberrationem mentis incidat, sive ob cantum, sive ob organi sonitum. Quae verba a Diacono et Subdiacono, cum apud Celebrantem, vel ad eius latera stant, indubie audiri possunt et revere audiuntur. Quodnam ergo aequum responsum merebatur tam obscura confusaque petitio? Affirmativum? Haud profecto; quia, eo posito, sequeretur semper a Diacono et Subdiacono faciendas esse inclinationes et si-

gna, quoties haec responderent verbis **voce non secreta** prolatis : quod semper in omnibus verbis comprobari potest, et reapse comprobatur, etiam *secretis*. Ergo negativum; atque ita sapienter se gessit Sacrum Tribunal, respondendo: « Negative in omnibus. »

Verum inferri ne potest ex hac responsione, sacros Ministros non debere se signare aut inclinare ad Confessionem, ad Introitum, ad *Gloria*, ad *Credo*, atque ad alia omnia verba, quae Celebrans clara voce profert, vel *submissa* in Missa solemni iuxta Rubricae verba, inquam, quae non ad *secreta* pertinent? Minime gentium, esset enim aperte contra Rubricas, Decreta et rectum sensum. Hinc concludimus cum omnibus Rubricarum Expositoribus Diaconum et Subdiaconum, nisi aliunde sint occupati, semper debere in Missa solemni inclinare caput, seque signare cum Celebrante, quoties hic *clara voce* (quae in Missa solemni potest esse *submissa*) aliqua recitat, vel canit, vel canit chorus, quae dicta signa exigunt, sive stent iuxta Celebrantem, sive post ipsum. Quando autem Celebrans eadem signa vel inclinationes agit, quae *secretis* verbis respondet, etsi haec audiant Ministri, ad ea non debent attendere, nec signum ullam facere.

Nota. Responsio authentica suprarelati Decreti aliquam accidentalem mutationem passa est, sed substantialiter est eadem in nova ac in antiqua Collectione. Quaerere quis posset, quare obscuritas praefata non fuerit ablata a Commissione Liturgica; et respondemus: quia nulla urgebat necessitas, extra quam mandatum illi non erat mutare textum: aliunde, intentio Oratoris haud innotescebat. Consultius ergo iudicatum est rem relinquere uti iacebat; sed sensus Dubii et responsionis datae ipse est et non alius ab illo quam explicavimus.

VI. *Ex America Septemtrionali*. **De Missa votiva vetita festi transferendi quoad Officium**. 1. Si festum SS. Rosarii

B. V. M. transfertur ob occursum festi primarii eiusdem ritus, quaeritur utrum tunc liceat dicere Missam votivam solemnem de festo transferendo SS. Rosarii; quia nempe in aliqua existit ecclesia Confraternitas SS. Rosarii canonice erecta, et possunt fideles ergo lucrari indulgentiam plenariam toties quoties ad instar indulg. Portiunculae ?

Resp. Satis compertum, impraesenti saltem, est, aliud esse festum, aliud esse Officium; hoc quidem transfertur, non autem festum, generaliter loquendo. Si ergo festum SS.mi Rosarii transferri dicatur ob occursum alterius festi primarii eiusdem ritus, ex quo impeditur, non festum ipsum quoad se transfertur, sed quoad Officium, festo diei suae affixo remanente. Consequenter in casu, non festum Rosarii transfertur, quod Dominica prima Octobris semper recolitur, sed illius Officium, eo quod impeditur. Aliunde certum hoc quoque est, quod « cum... transfertur tantum Officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fit translatio (Pius Pp. IX) decrevit (*Urb. et Orb. 9 Aug. 1852)* ». Per quod ostenditur, festum nullo pacto transferri, si transferatur Officium cum Missa; quia Summus Pontifex Indulgentias concessit pro diebus festis.

Hoc posito, facile sequeretur, in Dominica prima Octobris Missam votivam de SS.mo B. M. Virginis Rosario celebrari non posse; quia prohibetur ritu festi, quod recolitur.

Verumtamen animadvertas, aliud esse Missam *simpliciter votivam* in die festo, et aliud esse Missam, quae votiva quidem dici potest, sed *festiva revera est*, a Rubricis permissa. Itaque nota, Rubricam Missalis (*Tit. VI*) permittere *in Ecclesiis, ubi est ... concursus populi ad celebrandum festum, quod transferri debet*, Missam unam de ipso festo, cantatam tamen, iuxta praefatam Rubricam. Haec autem Missa est quidem votiva, quatenus non respondet festo quod recolitur, sed vere festiva quoque dici

debet, quippe quae de festo est quod celebratur, quamvis eius Officium sit transferendum. Cum itaque huiusmodi Missa et festiva sit, quamvis etiam votiva, et a Rubricis permissa, optime praefato die haberi potest. Supponimus autem certo, concursum populi die festo SS.mi Rosarii non deesse, cum agatur de Indulgentia plenaria lucranda.

VII. *E Gallia*. **De non lucranda Indulgentia altaris privilegiati cum Missa de SS.mo Corde in semiduplici.** Missa fundatur in honorem SS. Cordis Iesu qualibet 1ª Feria VI uniuscuiusque mensis ; sed eius applicatio est pro defunctis qui Missam fundaverunt. Cum dico Missam cum ornamentis albis de SS. Corde singulis vicibus, num indulgentiam altaris privilegiati pro defunctis obtineo, si officium dici semiduplex admitteret Missam de Requie ? Ratio dubitandi est quia non lucratur indulgentia nisi in nigris, quando Missa de Requie permittitur.

Resp. Nota lex est S. Cong.nis Indulgentiarum , vi cuius Indulgentia plenaria altaris privilegiati pro defunctis lucrari potest cum Missa de die, quando ritus non permittit Missas de requie : secus, qui Missam de requie dicere potest, et non dicit, Indulgentiam non lucratur. Hoc ius positivum est, eique standum, si Indulgentiam quis lucrari velit. Hoc posito, de quo dubitari nulla ratione potest, palam sequitur, Indulgentiam praefatam non posse lucrifieri ab eo qui prima feria VI, semiduplici occurrente, Missam facit de SS.m.o Corde Iesu; quia Missam de requie celebrare poterat. Haec quidem, abstrahentes tamen ab omni quocumque alio privilegio , aliave concessione, quae vel personam vel locum, vel dictam Missam de Sacratissimo Iesu Corde possit afficere.

VIII. *Ex eod. loco.* **De Missae de requie prohibitione in festo , cuius solemnitas transfertur, ex defectu alterius Missae, an extendenda ad casum peculiarem.** Missa de Requie prohibetur in incidentia Epiphaniae, quando non

alia est Missa pro populo applicanda, etiam in Gallia ubi transfertur solemnitas ad Dominicam sequentem. Ephem. 1899, pag. 585, et quidem merito. Sed Sacerdos qui dispensatur a tali applicatione pro sua Paroecia, et dicit illa die Missam pro operibus dioecesanis ex indulto Apostolico, posset ne in casu, si Missa exequialis peteretur, non ultra biduum ab obitu, remittere ad aliam diem Missam pro operibus dioecesanis, et dicere Missam cum cantu pro defuncto, in die Epiphaniae? Ratio dubitandi est quia Missa iam non est pro populo, sed est pro intentione particulari, et videtur esse parvi momenti, si applicatio pro operibus dioecesanis fiat una vel altera die. Quid iuris?

Resp. Cum agatur de dispensatione ex Indulto Apostolico, hoc idem Indultum consulendum foret, ut aliquid certi posset concludi: quod cum nobis praesto non sit, sequentia pro responsione animadvertimus. Ratio, ex qua interdicitur Missa de requie in casu, est quia cum una tantum Missa dici queat, haec primo respondere debet officio diei, cum sit quasi-conventualis: secundo applicari debet pro populo. Iam nunc ex Indulto Apostolico haec secunda ratio amplius consideranda non est, utpote cui in praesentibus rerum adiunctis alia praevaluit in loco, seu ratio dioecesanorum operum. Onus ergo Missae pro populo applicationis impraesenti, vel sublatum, vel intermissum, vel suspensum manet, quia dispensatum ab eo est.

Verum ratio dioecesanorum operum tanti ne est, ut impediat, sicut quasi-conventualis pro populo, Missam exequialem? Profecto si onus applicationis pro populo consideratur, respondendum videtur negative; quia dilatio dictae Missae grave spirituale damnum potest afferre fideli populo, ut ex noto iure sine graviori causa differri nequeat, et obligatio illius applicandae sit tali diei adnexa. At satis minus videtur esse damnum, quod dilatio Missae afferre potest operibus dioecesanis, pro quibus applicari

debet, opera enim tangit, non personas. Si vero perpendatur obligatio Missae quasi-conventualis, aliter dicendum videtur; quia Missa pro operibus dioecesanis officio diei respondet, quod comprobari nequit in Missa exequiali, quam de currenti officio esse repugnat. Adeo ut cum Missa exequiali uni incommodo tantum, sed non alteri occurratur.

Insuper consultius est ad Indultum recurrere; quia fieri posset, ut ita ipsum concessum fuerit, quod applicationem permittat tantum pro operibus dioecesanis, applicationem autem neget pro aliis diversis causis.

Concludimus, in casu audiendum esse Ordinarium, qui solus scire potest, quibus de causis, et sub quibus limitibus et conditionibus datum sit Indultum.

BREVIORA RESPONSA

I. *Pro America Septentrionali.* Missae votivae permittuntur iis diebus, quibus indultae sunt, dummodo eisdem diebus non recolatur memoria Festi eiusdem personae.

Applicari enim potest principium, *non bis* in idem. Insuper notandum est Missas votivas esse indultas, Festum vero esse praeceptivum. Idcirco Missa votiva SS. Cordis Iesu 1.ª feria VI cuiusque mensis indulta, nequit celebrari *a*) in Vigilia Epiphaniae; *b*) die 7 Ianuarii (die II infra Oct. Epiphaniae); *c*) in feriis, quibus officia *Instrumentorum* Passionis Domini affixa sunt; *d*) infra Oct. Corporis Christi quando de Oct. agendum est. Ratio est, ut ex supradictis patet, quia in iis omnibus casibus festum Domini, vel ad Dominum pertinens, celebratur. Comproba-

tur etiam ex verbis Decreti, quo haec Missa votiva indulta fuit. « Beatissimus Pater indulsit.... ut addi valeat Missa votiva de S. Corde Iesu; dummodo in illam diem (1am Feriam VI cuiusque mensis) non incidat *aliquod festum Domini....*, vel *Octava ex privilegiatis* ». Neque celebrari potest feria VI infra Oct.Corporis Christi, si in ipsam incidat Festum duplex; Octava enim Corporis Christi est privilegiata; unde in casu de festo occurrenti Missa celebranda est.

II. *Pro Senogallia.* In editionibus typicis Breviarii Romani, quas apud nos habemus, in officio Sacrae Familiae in versiculo ad secundum Nocturnum legitur : *ambulabimus in semitis* **suis;** ad Tertiam vero et ad Sextam : *ambulabimus iu semitis* **eius**. Verba deprompta sunt ex Isaia (cap. 2, v. 3) et ibi legitur: *ambulabimus in semitis* **eius**. Sensus in utraque lectione idem est; et Ecclesia verba, quae ex Scriptura, vel ex traditione in Liturgia usurpat, aliquantulum consuevit mutare, maxime in antiphonis, versiculis, etc., dummodo sensus semper idem sit. Plura afferri possent exempla.

III. *Pro eod. loco.* Proximo anno die 27 Maii celebrandum est festum S. Bedae Venerabilis, et ita deinceps. Cum autem eodem die festum recolatur S. Mariae Magdalenae de Pazzis, hoc necessario transferendum est, et in primam diem liberam, quae pro universa Ecclesia est dies 29, reponendum. Nam primum est in die natalitia, alterum vero in die quasi-natalitia. Pro illis vero Ecclesiis, quae die 29 festum S. Bonifacii IV P. C. celebrant, haec dies impedita censenda est, idcirco festum S. Mariae Magdalenae in aliam diem transferendum est. Ita eruitur ex regulis novissimi Decreti, quod legi potest in Vol. 3 novae Collectionis sub. num. 3811. En verba Decreti: « IV. Si duo officia, alterum antiquum (nempe quod iam diem suum possidet, ut in casu illud S. Bonifacii), alterum novum,

ambo sint *in die assignata*, antiquum novo praeferatur, quamvis nobiliori vel etiam ab anteriori die translato, ritu etiam aut ratione primarii vel dignitatis posthabitis ».

IV. *Pro variis locis*. Nobis videtur Episcopus etiam iubilaei tempore posse impertiri benedictionem papalem cum indulgentia plenaria pro defunctis, uti scribunt Commentaria « Il Monitore Ecclesiastico » Vol. XI, p. 464 (1). Ratio est, quia integrae permanent indulgentiae « quaecumque vivis quidem concessis, sed hac dumtaxat causa ut defunctis per modum suffragii directe applicari valeant. Quas omnes et singulas volumus non prodesse vivis, prodesse defunctis (Const. *Quod Pontificum* ad VII) ». Neque refert quod verba quae in precibus *Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur, respiciant vivos, non defunctos; indulgentiae enim a viventibus non a mortuis lucrari possunt, idcirco ipsis verba et conditiones pro illis lucrandis dirigendae sunt. Indulgentia vero, idest remissio partialis vel totalis poenae, quam consequeretur vivens, prodesse potest defunctis.

Idem dicendum est de aliis benedictionibus, sive pro Tertiariis sive in fine Missionum vel exercitiorum concedi solitis.

V. *Pro Goritia*. 1. Occurrentibus festis diei Oct. Corporis Christi et S. Aloisii Gonzagae, secundum est simplificandum. In secundis tamen Vesp. diei Octavae commemoratio simplificati est omittenda. Ratio est quia, quamvis Vesperae sint de die Oct., nihilominus censentur esse de Festo SS. Cordis Iesu, ratione identitatis obiecti. Festum autem SS. Cordis Iesu cum sit duplex primae classis nullam amittit in primis Vesp. commemorationem. Ergo.

(1) Mendum irrepsit in his Commentariis. In Decreto S. C. Indulgentiarum, ubi legitur : *Negative*, legendum est : *Affirmative*.

2. Infra Oct. Corporis Christi semiduplicia sunt simplificanda, et dies in quibus cadunt tamquam liberi censendi sunt pro repositione alterius festi translati, ritus duplicis 1ae vel 2ae classis. Commemoratio semiduplicis simplificati sequitur regulas generales pro Commemorationibus.

3. In concursu officii SS. Sindonis D. N. I. C. et Ss. quinque Vulnerum eiusdem, secundae Vesp. debent esse de praecedenti sine Com. sequentis, ratione identitatis obiecti. Ita in simili casu statuit S. R. C.; nam interrogata quomodo agendum « cum transfertur Patrocinium B. M. V. ad diem 17 vel 19 Decembris, quo casu concurrit in primis aut secundis Vesp. cum officio Expectationis Partus eiusdem B. M. V. », ad dubium: « quomodo in his casibus disponendae sint Vesperae? » Respondit: « Totum de praecedenti in utroque casu, nihil de sequenti » *(Ordinis Minorum, 27 Martii 1779 ad 2, num. 4393-2514)*.

4. In concursu diei Oct. Nativitatis B.M.V., cum primis Vesperis Septem Dolorum eiusdem B. M. V., 2ae Vesperae diei Octavae ordinandae sunt sequenti modo: Vesp. de sequenti, sine com. praecedentis. Ratio primae partis est, quia festum dupl. maius habet praecedentiam in concursu diei Octavae alicuius sancti, etiam B. M. V. (Vid. *Rubric. generales Tit. XI, n.* 7). Ratio secundae vero, quia festa concurrentia in casu habent idem subiectum. Idcirco erravit Calendarii redactor ordinans 2as Vesp. diei octavae: Vesp. de Oct., sine com. sequentis.

5. Regulares tenentur, absolute loquendo, celebrare festum Patroni Dioecesis, in qua commorantur, sub ritu dupl. primae classis, sine Oct., dummodo tamen locus in quo degunt non habeat Patronum specialem. Quod si Patronus specialis habeatur, tunc, omisso Patrono dioecesis, tenentur celebrare festum huius secundi, item sub ritu dupl. primae classis, sine octava, nisi illi aliter competat.

Idcirco regula generalis poni potest, nempe: Regulares tenentur celebrare festum illius Patroni quod est magis proprium loci in quo degunt, aliis minus propriis omissis, nisi istorum festa ex alio titulo celebrari debeant. Comprobatur ex recentissimo S. R. C. Decreto. « Festum *praecipui Patroni loci* vel Dioecesis, *si particularis non habeatur*, celebrandum esse ab omnibus et singulis de Clero, ad Horas Canonicas obligatis, *qui eodem loco degunt*, sub ritu dupl. primae classis a Saeculari cum octava, a Regulari vero sine octava (*Decret. Generale*, 5 Iulii 1895 *ad 1.*, *num.* **3863**) ».

VI. *Pro Lincio.* Regula generalis est: quando aliqua dies non est impedita a festo duplici, quod sit praeceptivum, sed illius loco dicitur officium semiduplex, simplex vel votivum, nullum adest praeceptum ut Missa illius diei sequatur officium. Hinc die illa dici potest quaelibet Missa ex iis quae in Missali Romano leguntur. Ideoque nihil prohibet quominus in casu, quando in Sabbato recitatum fuit officium votivum Immaculatae Conceptionis B. M. V., Missa e contra legatur votiva de Communi eiusdem B. M. V., vel de Septem Doloribus, vel de Purissimo Corde, omissa etiam commemoratione officii recitati, si sit votivum eiusdem B. M. Patet ex Decreto S. R. C. *in Lincien.* d. d. 6 Febr 1892, num. 3764. « Dubium XI. An Missa Votiva de SS. Corde Iesu licita sit privilegio utentibus, iis diebus, in quibus recitant officium votivum de SS. Sacramento, Feria V, vel de Passione Domini, Feria VI? Item, an iisdem licita sit Missa votiva de Passione Domini, quando recitant officium votivum de SS. Sacramento et viceversa; vel Missa votiva de Cruce quando recitant alterutrum horum officiorum votivorum? Et quatenus affirmative, quaenam erit in praedictis casibus secunda Oratio? de Officio votivo an de Tempore, quando non occurrunt aliae commemorationes? »

Resp.: « Ad XI. Affirmative: et secunda oratio sumatur de Tempore. »

VII. *Pro eod. loco.* In *Ephem. Liturg.* anni proxime elapsi (pag. 687) docuimus, hymnos proprios historicos transponendos esse aut coniungendos, quando recitari nequeunt proprio loco, non tantum in die festo, sed etiam in die octava. Et bene; quia ubi eadem est ratio, ibi eadem debet esse legis dispositio. Atqui etiam in die octava eadem est ratio; quia si hymni historici, qui proprio loco dici nequeunt, integri non recitarentur, sensus mancus esset. Ergo. Neque contradicit Rubrica generalis uti Rev. consulens supponit; nam Rubrica non dicit: *tantum in die festo;* sed: « *quando in aliquo festo* adsint tres hymni proprii historici etc. (Vid. *Rub. gen. Tit. XX, num. 3*) ». Dies octava vero nihil aliud est quam festi complementum.

VIII. *Pro Motyca Syracusana.* Cum nova evulgata sit Collectio Decretorum S. R. C., haec sequenda est, non antiqua; ideoque etiam auctores qui de re liturgica tractarunt, iuxta novam editionem Decretorum corrigendi sunt, in omnibus iis, quae cum nova editione non conveniunt.

IX. *Pro Senogallia.* Nobis videtur sequenda esse doctrina quam tradidimus pag. 103 an. cur. circa lumina pro Horis parvis in Vigilia Pentecostes, quamvis De Herdt (*Prax. Pontif. Vol. III, num. 187*) contrarium doceat. Nam aliqua similitudo habet Vigilia Pentecostes cum Sabbato Sancto, sed haec incipit tantum a Prophetiis, prosequitur ad Benedictionem fontis etc., non ad officium. Eruitur ex Rubricis et ex Caeremoniali Episcoporum. In Vigilia enim Pentecostes Horae antea dicuntur : « dicta Nona, Sacerdos et ministri induti paramentis violacei coloris etc. » ; idcirco quis prohibet quominus candelae accensae sint dum Horae persolvuntur, cum quid unum a se faciant? Sed in Sabbato Sancto, Episcopo celebraturo, Horae usque ad Sextam inclusive dicuntur ante benedictionem ignis ; e contra

Nona dicitur post praeconium Paschale, quando nempe functio jam incepit (Vid. *Caerem. Episcoporum Lib. II, cap. XXVII, num. 12*) ; et Rubricae speciales diei omnia statuunt circa luminum accensionem , quomodo nempe et quando facienda sit; omnes enim norunt Sabbato Sancto neque lampades accensas esse in Ecclesia; sed ignem benedici et ex illo, cereum paschalem, lampades, et candelas altaris in quo celebratur, tempore suo, accendi.

DE SINGULARI CASU

MISSAE CONCELEBRATIONIS

E Sicilia ad nos litteras mittunt, quaerentes quid dicendum sit de singulari ritu concelebrandi Missam, alicubi ibidem vigente. Haec concelebratio ita fit : die 25 Decembris, dicta Missa solemni, ad altare maius ab immemorabili quatuor eodem tempore celebrantur Missae, aliquando lectae, aliquando vero cantatae, sed absque ministris. Forma altaris in quo quatuor simul Missae celebrantur, quadrangularis est. Si unus ex quatuor celebrantibus idem sit qui Missam solemnem cantavit, reliqui tres sacerdotes, ut omnes in omnibus actionibus et caeremoniis concorditer procedere possint, legunt vel cantat cum eo secundam et tertiam missam, quibus absolutis, primam legunt Missam. Quid dicendum ?

Resp. Specialis hic modus Missam celebrandi analogiam quamdam habet cum antiquissimo ritu, dicto *concelebrationis* Missae ; unde, ut tractatio omnibus numeris absolvatur , agere opportune credimus de ritu concelebrandi

Missam, prout in antiquitate vigebat ; ex iis enim quae dicemus, responsio patebit dubiis supra expositis.

1. « Solemne, ait E.mus Bona, hoc fuit in utraque Ecclesia graeca et latina, ut unum et idem Sacrificium a pluribus interdum Sacerdotibus celebraretur. Episcopo enim, sive Presbytero celebrante, reliqui quotquot aderant Episcopi seu presbyteri simul celebrabant, eiusdemque sacrificii participes erant. Hic autem mos hactenus servatur a Graecis : apud nos vero in solis ordinationibus Presbyterorum et Episcoporum permansit (1) ». Huius moris origo est antiquissima ; et per annos circiter mille et tercentos tam in latina quam in graeca ecclesia, ubi etiam nunc perseverat, communis evasit, uti documenta, quae adhuc nobis remanserunt, testantur. *Constitutiones Apostolicae* (lib. 8) Episcopum describunt operantem cum Presbyteris circumstantibus simulque offerentibus et communicantibus. In concilio Chalcedonensi Bassianus ab episcopatu Ephesino depositus de Stephano in sedem suam intruso sermonem habens, ait : « Stephanus Presbyter meus fuit. Quatuor annis Missas *mecum celebrabat, mecum communicabat* ». Vetus Pontificale Rothomagense inquit : « Mos est Romanae Ecclesiae, ut in confectione Corporis et Sanguinis Domini adsint Presbyteri, et simul cum Pontifice verbis et manibus conficiant (2) ». In appendice Ordinis I. Romani legitur : « In diebus festis, id est, Paschae, Pentecostes, S. Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor sollemnitates habent colligendas presbyteri Cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu sua : et venit archidiaconus et porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente Pontifice ad altare, dextra laevaque circumdat altare, et simul cum illo Canonem dicunt, tenentes oblatas in ma-

(1) **Bona,** *Rerum liturgicarum*, lib. I, Cap. XVIII, n. 9.
(2) **Bona,** l. c.

nibus, non super altare, ut vox Pontificis valentius audiatur ; et simul consecrant corpus et sanguinem Domini: sed tantum Pontifex facit super altare crucem dextra laevaque (1) ». Saeculo XIII, hic modus dicendi Missam adhuc perdurabat ; nam Innocentius tertius in libro IV, *de Mysteriis Missae*, cap. 25, scribit : « Consueverunt presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem et cum eo pariter celebrare, cumque consummatum est sacrificium, de manu eius communionem accipere : significantes Apostolos, qui cum Domino pariter discumbentes, sacram de manu eius Eucharistiam acceperunt. Et in eo, quod ipsi concelebrant ostendunt, Apostolos tunc a Domino ritum huius sacrificii didicisse ». Saeculo XIV videtur huius mos concelebrandi desiisse. Nam Durandus a S. Porciano († 1333) scribit, in Ecclesia Romana aevo suo non fuisse servatum quod Innocentius III scripserat. « De presbyteris Cardinalibus concelebrantibus cum Papa : et ideo ea consuetudo abolita est, sicut nobis constat, qui in Curia Romana longo tempore stetimus et adhuc ibidem sumus, et Missis Summorum Pontificum interfuimus, in quibus illa consuetudo numquam fuit observata (2) ».

2. Ratio huius intermissionis, iuxta citatum Durandum, est, quia improbandum erat, quod plures proferrent consecratoria verba super unam eamdemque hostiam, ob nimia pericula quae inde oriri poterant. Idcirco Bona subirascens in Durandum, audacter nimium ac temere ab eo consuetudinem concelebrandi improbari dolet. « Hunc morem, ait Bona, convellere scholasticis subtilitatibus audax consilium est. Desiit, fateor, ille mos, non quia acumini disputantium Ecclesia cesserit ; sed quia ritus ac

(1) Apud **Muratori** *Opere,* Vol. XIII, parte 3, pag. 979 (Editio aretina anni 1773).

(2) *In 4 sententiarum, distint. XIII, quaest. 3.*

caeremoniae non in aeternum permanent, tollique possunt ac mutari, sine fidei ac unitatis dispendio. Cur autem desierit, causa mihi videtur fuisse, primo quidem quod fundatis Ordinibus Mendicantium et longe lateque propagatis, multiplicata sunt onera Missarum, atque ideo necesse fuit singulos sacerdotes, ut iis satisfacerent, singulis diebus privatim celebrare. Deinde quia caritas multorum refrixit, cessavit etiam frequens accessus ad hoc Sacramentum, adeo ut hodie nec ipsi quidem Ministri in plerisque Ecclesis communicent, licet Sacrificio cooperentur. Olim vero hic ritus diebus festis et solemnioribus potissimum servabatur, quia sicut populus tunc Sacro adesse et sacra communione refici consueverat ; ita viri Ecclesiastici Missae solemni ministrabant et quisque sui ordinis ministerio fungebatur, ac in unum propterea conveniebant, omnesque pariter sacram Synaxim peragebant, Christique Corpus et Sanguinem in fine percipiebant. Haec autem vere et proprie communio Ecclesiastica dicebatur, a Sanctis Patribus tantopere commendata (1) ».

3. His praenotatis circa historiam concelebrationis Missae, quaerendum nobis est in quo consistebat haec concelebratio. Fateri cogimur documenta quae prae oculis habemus non esse satis clara ; ita ut asserere possimus, in antiquitate, quamvis plures Sacerdotes sacrificium offerrent, unam tamen eamdemque hostiam consecrarent. Ita verba quae ex Rothomagensi Pontificali supra retulimus, dicunt : « Simul cum Pontifice (Presbyteri) verbis et manibus conficiant ». Ubi notandum, non tantum verba Presbyteros proferre cum Pontifice, sed etiam signa facere. E contra Appendix Ordinis Romani I (vid. supra) iubet Presbyteros cardinales verba proferre simul cum Pontifice, sed signa facienda sunt a Pontifice tantum: « Simul con-

(1) l. c.

secrant corpus et sanguinem Domini : sed tantum Pontifex facit super altare crucem dextra laevaque ». Super quid? super unam tantum oblatam vel super plures ? Ex ista Appendice dicendum videtur super plura. « Venit Archidiaconus et porrigit unicuique eorum (Cardinalium) *oblatas tres*. Et accedente Pontifice ad altare dextera laevaque circumdant altare et simul cum illo Canonem dicunt». Mabillonius ex his verbis docet Presbyteros illos tres hostias quas in manibus tenebant consecrasse, tametsi eas solus Pontifex signaret. Cur autem tres hostias unusquisque consecraret, putat ut altera eorum se communicarent, alias duas pro fermento sacro reservarent. Putat etiam eosdem Presbyteros sanguinem seorsim consecrasse (1). E contra ex antiquo Rituali a Morino edito, ubi legitur hic titulus : « de diversis Sacerdotibus *super unam oblatam* celebrantibus (2) » et ex Innocentio III eruitur, Pontificem cum Cardinalibus unam tantum hostiam consecrasse, uti fit hodie. Pariter ex verbis Card. Bona quae supra retulimus, palam fit Cl. scriptorem tenere unam tantum oblatam in concelebratione Missae offerri et consecrari. Accedit praxis actualis Ecclesiae in ordinatione Presbyterorum et Episcoporum, ubi omnes quidem consecrant, sed unam tantum oblatam.

4. Idcirco, cum nihil certi erui possit ex documentis, quae habemus, concludere cogimur, quaestionem non satis claram esse, an scilicet in concelebratione Missae una vel

(1) **Mabillon,** *Musaeum Ital.* Tom. II, num. 10. Muratori tamen in nota ad locum supra citatum ait : « Gregorius secundus in epistola IX ad Bonifacium Episcopum Moguntinum scribit non esse congruum *duos vel tres calices in altari ponere, cum Missarum solemnia celebrantur.*

(2) **Morin**, *Liber de Sacris Ordinationibus, pars 3, exercitatio 8, cap. 1.*

plures oblatae consecrarentur. Nisi dicere velimus, nullam adfuisse legem pro hac concelebratione, idcirco aliqui in concelebratione Missae sic agebant, ut quamvis simul verba proferrent, unus tamen signa faceret et una tantum oblata consecraretur; alteri verba et signa omnes agebant et item unam oblatam consecrabant ; alteri vero et verba et signa omnes agebant et plures oblatas consecrabant, id est quot erant concelebrantes.

Unum certum est, nempe semper concelebrationem Missae factam fuisse in uno tantum altari.

5. Quoad vero sacrificium, num scilicet in concelebratione Missae sive una tantum oblata sive plures consecrarentur, unum et idem vel plura, idest quot erant concelebrantes, haberentur sacrificia, respondendum est cum De Lugo : « quod si duo Sacerdotes simul consecrarent unam hostiam, essent duae oblationes et singuli possent applicare Missam pro diversis (1) ». Et cum Benedicto XIV : « In ecclesia occidentali, quando Sacerdotes cum Episcopo concelebrabant, oblationis erant participes ; oblationibus cum successerit eleemosyna facile intelligi potest, ubi etiamnum vigent ritus concelebrationis, non posse concelebrantem privari iure suo accipiendi eleemosynam pro Missa ei applicanda, qui eleemosynam praebet, quique praesertim probe est conscius, Sacerdotem eo modo Missam cum Episcopo concelebrare (2) ».

Haec circa antiquum ritum Missam concelebrandi; nunc vero ad casum propositum.

6. Si quis hodie praxim concelebrandi in usum revocaret, insolens haud dubium videretur, quamvis, uti iam supra diximus, in latina Ecclesia hic mos per annos cir-

(1) *Tract. de Sacramentis. Disp. 19, sect. 12, num. 252.*

(2) *Benedictus XIV. De Sacrificio Missae, Lib. 3, Cap. 16, num. 10.*

citer mille et tercentos viguerit. Sed iis in locis ubi *ab immemorabili* viget, *per se* reprobari non potest. Reprobari tamen potest et debetur *per accidens*, quando scilicet vel non omnia secundum ordinem fiunt vel incommoda graviora inde oriantur. Consuetudines enim quae ex antiquissima Ecclesiae praxi originem ducunt, etiamsi in universali Ecclesia non amplius observentur, possunt observari in particulari, ubi ab immemorabili vigent, dummodo tamen naturam suam retinuerint, ideoque usus antiquissimi dici possint, non abusus. Plures enim consuetudines particulares, quae usus nomen habent, nihil aliud sunt quam abusus; idcirco quaerendum est, meliori quo datur modo, ut e medio tollantur. Casus propositus usus dicendus est vel potius abusus ? Videamus an omnia secundum ordinem fiant vel non, et responsio patebit.

7. Quatuor adsunt concelebrantes; altare in quo celebrant est quadrungulare, ita ut in concelebratione unusquisque concelebrantium suum latus occupet. Quaeritur nunc : forma istius altaris estne regularis ? Respondere cogimur: negative. Altaria in antiquitate eamdem habebant formam, quam nunc habent in basilicis Romanis, nempe rectangularem.

Sacerdos generatim populum in celebratione adspiciebat: sed latera altaris tria libera erant pro concelebrantibus, quartum vero omnino liberum remanebat, ut populus concelebrantes adspicere posset. Quando vero concelebratio fiebat, concelebrantes hinc inde a lateribus primi celebrantis se sistebant ad modum fere circuli. Videantur textus supra relati, praecipue appendix Ordinis I Romani. Iuvat iterum eius verba referre: « Tunc (post Offertorium) septem Cardinales ad altare cum libris, *tres ex una parte et quatuor ex alia*, et Pontifex a diacono sustentatus, intrat ad altare in Canonem ad sacrificandum hostiam cum Cardinalibus »

8. Quaestio gravior exurgit : quatuor concelebrantes

in casu, quatuor oblatas offerunt, et unusquisque suam oblatam ponit in ea parte altaris, quam occupat. Quaeritur: pars ista quam occupat habetne saltem suum sacrum lapidem? Si illum non habet, est illicita consecratio, nisi altare quadrangulare consecratum sit ad modum fixi; si autem illum habet, tunc altaria sunt quatuor non amplius unum; at concelebratio in pluribus altaribus in antiqua Ecclesia ignota erat; idcirco non amplius antiquus usus habetur in casu, sed recens abusus. Unum tantum exemplum concelebrationis super duo altaria invenimus, sed satis recens, et prorsus singulare quomodo etiam a cl. Marténe vocatur. En eius verba: « Singulare vere prorsus est illud quod in exequiis Philippi Augusti Francorum Regis contigisse narrat Rigordus in eius vita et Anonymus in Mabillonii Analect. (Tom. 2, pag. 606) nimirum: Missam exequialem celebrarunt simul Portuensis Episcopus et Remensis Archiepiscopus, una voce ad duo altaria propinqua, ceteris Episcopis cum clericis et monacis, quorum aderat innumera multitudo, assistentibus et eis respondentibus (1) ». Si licet concelebratio in casu, quis prohibere potest ut in Ecclesia ubi quinque, vel septem vel plura adsunt altaria, celebrantes una voce verba dicant et simul signa faciant? Esto. Sed hic modus sacrum faciendi nullo modo dici potest concelebratio, uti extabat antiquitus, sed dicendus est modus concelebrationis recens et prorsus singularis. Antiquitus quando in concelebratione plures oblatae offerebantur, solus Pontifex suam in altari ponebat, concelebrantes vero suam in manibus tenebant. « Accedente Pontifice (legitur in Appendice supra citata)... Cardinales simul cum illo Canonem dicunt, *tenentes oblatas in manibus* (supra corporale) non

(1) Marténe. *De ant. Eccl. ritibus. Tom. I, Lib. I, cap. III, Art. VIII, num. 2.*

super altare ». Concludi ergo potest, in casu non omnia secundum ordinem fieri, idcirco iste modus concelebrandi potius abusus quam antiquus usus dicendus est.

9. Quaeri etiam posset in altari isto in quo concelebratio fit, adsuntne Crux, candelabra, Missale etc.? Si usus *ab immemorabili* viget, cum antiquitus nec crux, nec candelabra, nec Missale in altari haberentur; nec impraesenti haberi deberent. Hoc difficile est creditu in casu, quia hodie necessario Crux et candelabra saltem duo in altari esse debent; idcirco ulterius quaeri posset: quot Cruces adsunt in isto altari et ubi? quot lumina et ubi? quot Missalia et ubi? Ex praecepto, uti diximus, in altari Crux et saltem duo lumina esse debent; sed altaria non unum tantum sed veluti quatuor sunt, idcirco et quatuor cruces adesse deberent. An forsan uti habetur altare speciale quadrangulare, adest et specialis Crux quater facierum?!!

10. Tempus est ut ad seriora deveniamus. Res, ut nobis expositae sunt, videntur minime probandae. Plura enim adsunt quae cum antiquitate non conveniunt et praesenti disciplinae repugnant; idcirco nobis potius abusus videtur iste concelebrandi modus, quam usus. Siluimus quod spectat unitatem in verborum prolatione; nam nemo non videt quam difficulter simul uno ore verba dici possunt; sed quid dicemus, quando concelebrantes Missam non legunt sed cantant? Forsan omnes celebrantes simul cantabunt, hoc facile obtineri potest; sed si alter eorum inconcinne canit, uti saepe saepius evenit; tunc necessario gravitas, maiestas, quas actio requirit, omnino pessundantur, ut nihil dicamus de populo qui nescimus quomodo eiusmodi Missis devote assistere poterit. Ceterum, etiam si concelebrantes optima voce et musicali auditu donati fuerint, non est attendendum quod hi faciunt, sed quod alii eisdem donis minime ornati facere possunt; nam bo-

num habetur ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu.

11. Pro coronide tandem notandum est etiam Missarum inversionem non posse adprobari. Ecclesia enim iubet ut prima Missa ad mediam noctem dicatur, altera ad auroram, tertia vero post solis ortum. Hoc non est praeceptivum; sed si suis horis non dicuntur, vult tamen ut secundum ordinem quo in Missali prostant dicantur. Nam tres Missae quae leguntur in Nativitate Domini habent in se quamdam significationem circa mysterium quod recolitur, uti illas legenti patet. Ideoque, si non gravis, adest tamen aliqua inordinatio in illarum inversione.

Responsio ad Cl. Nivardum Bossi

TENENTEM DIES INFRA OCTAVAM NATIVITATIS HABERI DEBERE UT PRIVILEGIATOS.

Attente perlegi singula, quae Confrater et Amicus noster ad labefactandam sententiam sibi oppositam attulit cum fiducia, sperans ut sua argumenta convictionem adducerent, et ostenderent Octavam Nativitatis Domini esse privilegiatam ad effectum impediendi *ut sic* Missas de Requie; sed cum eius venia, non video quomodo finem hunc attigit.

Octavam Nativitatis habere aliquid singulare in suo officio, eius commemorationem nunquam esse omittendam, Dominicam infra eamdem Octavam multum habere proprium, et diem eius octavam in pluribus discrepare cum aliis eiusdem ordinis, omnes conveniunt, et ego fateor cum omnibus Liturgistis. Sed quid ex supra enumeratis impedit

ut sic Missas de Requie, et privilegiatam quit facere hanc Octavam? *Num singularitas officii?* Minime, quoniam admittit, nonobstante hac singularitate, festa etiam semiduplicia sive occurrentia sive translata, ut ex Rubricis etiam post 1882 resultat spectantibus ad S. Thomam, qui tunc erat semiduplex; et ita praefata Octava nonnisi charactere Octavae communis gaudet, ipsa enim nullum festum etiam tantum semiduplex reiicit celebrandum, sive occurrat, sive transferatur. *Num commemoratio nunquam omittenda?* Sed, de confesso contradictoris nostri, talis commemoratio Romae concessa pro festo SS. Apostolorum Petri et Pauli non fecit eius Octavam esse privilegiatam in sensu, de quo in casu; et eadem commemoratio, qua gaudet Vigilia Epiphaniae etiam in dupl. I. cl., neque facit illam privilegiari ad impediendum *ut sic* Missas de Requie, ut probavimus anno praecedenti in peculiari dissertatione. *Num singularitas officii dominicalis infra hanc Octavam?* At re ita se habente, quomodo item non statim prohiberentur Missae infra Octavam Ascensionis, quando eius dominicale officium, teste ipso nostro competitore, habet eamdem singularitatem? *Num dies eius Octava?* Sed non capio quomodo haec sola dies transire faceret Octavam Nativitatis totam in privilegiatam, et prohibitio Missarum de Requie in die Octava extenderetur ipso facto ad cunctos dies eiusdem Octavae.

Caeterum, in anno 1675, Octava Nativitatis non adhuc habebatur ut privilegiata, cum in decreto n. 1549 non de ea fit mentio inter privilegiatas, et si ulterius, in anno 1706, non iam dicuntur Missae de Requie infra illam, ratio non est quia tunc magis privilegiatur quam antea — quod gratis supponit Dom. Bossi, cum nihil mutatum est in celebratione officii —, sed quia solum intervenit specialis defensio.

Gratis allegat quoque decretum 29 Sept. 1714, n. 2228

non alio titulo prohibere Missas de Requie infra Octavam Nativitatis Domini quam infra Octavam Corporis Christi. Quippe si differentia ibi non apparet quia legitur : « item prohibitum est » quasi in eadem linea utraque poneretur, attamen dubium cessat super privilegiis in una recognitis, quae alteri denegantur, quando legis in anteriori decreto n. 1549 Octavam Corporis Christi expresse computari inter privilegiatas, dum eodem decreto Octava Nativitatis Domini siletur.

Cl. Bossi quidem reponit ulterius tractu temporis evasisse pariter privilegiatam, et adducit in testimonium quod eius Vigilia est privilegiatissima. Sed argumentatio sua claudicat, quia, si haberet aliquem valorem, non satis intelligitur quomodo praefatum decretum, quod enunciat Vigiliam Nativitatis inter privilegiatas, nihilominus praetermisit Octavam eiusdem Nativitatis, quando enumerat eodem fere momento Octavas privilegiatas. Eligat quod magis placet, sed unum de duobus est extra veritatem.

Quoad nos, nulla est contradictio inter decretum n. 1549 et decretum *in Neapolitan.* 23 Febr. 1884 ad 6; in ultimo Congregatio affirmat exclusionem Missarum de Requie ab Octava Nativitatis Domini, non ut privilegiatam, sicut in quaesito valde immerito vocata est a Consultore, sed ratione specialis defensionis, quae in anno 1706 incoepit; et exinde si aliqua difficultas apparet pro conciliatione utriusque decreti, hoc provenit non ex Congregatione, sed ex quaestione.

Quibus dictis, non mirum est, interveniente Indulto quod ter in hebdomada celebrare permittit Missas de Requie cum cantu, *exceptis Feriis, Vigiliis, et Octavis privilegiatis* etc., si, remanendo intra limites dicti Indulti, sustinuerim hanc celebrationem evadere licitam infra Octavam Nativitatis Domini, quia non est privilegiata. Quin

imo arbitror et spero aemulum tam mihi urbanum, cl. Bossi, ad veritatem cum bona fide ex utraque parte perquisitam attrahere, sed semper salvo Congregationis iudicio.

A. FOURNERET
ex Acad. Liturg. Rom.
Parochus loci vulgo dicti Lannes
(dioecesis Lingonensis).

QUAESTIO SOLVENDA

PRO MENSE MAIO 1900.

Color paramentorum in universis functionibus ecclesiasticis est ne praeceptivus? Quid de rosaceo, caeruleo, aut flavo?

APPENDIX

S. R. C.

Dominica in Quinquagesima (die 25 Febr.) Snmmus Pontifex Leo XIII, ad se accitis R.mo Card. Camillo Mazzella S. R. Cong.ni Praefecto, nec non R.mo Card. Caietano Aloisi-Masella causae Relatore, R. P. D. Ioanne Bapt. Lugari S. Fidei promotore et R. P. D. Diomede Panici S. R. Cong.nis Secretario, solemniter decrevit: « *Ita constare de Martyrio et de causa Martyrii, nec non de signis seu miraculis Martyrium Ven. Dei Servi Francisci Clet* Sacerdotis e Cong.ne Missionis S. Vincentii a Paulo *illustrantibus et confirmantibus, ut procedi possit ad ulteriora, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Huiusmodi Decretum publici iuris fieri et in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit quinto calendas martias anno MCM.

IMPRIMATUR.
P. Fr. Albertus Lepidi O. P.
S. P. A. Magister.
IMPRIMATUR.
Ioseph Ceppetelli Archiepiscopus Myren. Vicesgerens.

Proprietas Literaria.

G.B. Agnolucci, gerente responsabile

Roma — Tip. Partenopea, F.lli Amoroso, Campo Marzio, 46. int.